Bibliothecæ Oppavienſis ad S. Spiritum
Ord. min. S. Franciſci Conventualium.

475

RARE BOOK COLLECTION
B.Y.U. Library
Gift of
Rare
Call
No. Rare 726.6 B466k 1721 no 1-3

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 23127 5824

LE.22

DISSERTATIO PACIFICA.

De VERBO DEI.

Ad reducendos Chriſtianos omnes ad Unam Fidem Catholicam.

Cum Licentia Superiorum.

NORIMBERGÆ.
Apud Joannem Fridericum Rüdiger.
Anno MDCCXXI.

DISSERTATIO PACIFICA De *VERBO DEI.*

Ad reducendos Chriſtianos omnes ad unam Fidem Catholicam.

CAPUT I.

Oſtenditur Cauſa diviſionis, quæ hodiedum perſeverat inter Chriſtianos.

VEritas, omnibus ratione pollentibus notiſſima, eſt, quòd ad morbum pellendum, præcipuê adnitendum ſit, ut morbi cauſa

tollatur. Si enim laboratur ut ſolùm effectus morbi reſcindantur, qui è morbo naſcuntur; fit, ut novis incommodis quotidie pullulantibus, & cura medica evadat inutilis, & medicamenta ad radicem morbi non pertingentia, operam omnem deludant. Vanus eſt conatus, diu noctuque aquam è navi haurire, nisì aditus influentis aquæ obſtruatur; alioquin aqua perenniter influens, exhauriri nunquam poterit, & navis tandem ſubmergetur. Morbus omnium eorum perniciosiſſimus, qui cunctis ſæculis Chriſtianitatem affixerunt, ille profectò eſt, qui noſtris etiam temporibus obſervatur, funeſta videlicet diviſio, quæ tam multas, tamque diverſas procreavit ſectas. Nemo eſt, qui tam enormi perturbatione deploratâ, non deſideret ardenter, videre tandem ejus finem, & unanimem conſenſum doctrinæ inter eos, qui JEſum Chriſtum agnoſcunt pro mundi Redemptore, & nomine Chriſtiano appellantur. Scio, tantum bonum eſſe deſiderandum & optandum: Sed non dum apparet, quonam pacto rationabiliter ſeparari

poſſit,

poſſit, animorum corruptelâ inſuperabile interponente obſtaculum. Nimia mortalium ſuperbia, fermè non ſinit ſperare, ut aliquando mundus univerſus ſe ſe ſubmittat veritatibus, quæ magnam exigunt humilitatem & obedientiam.

Non tamen propterea omnis abjicienda eſt ſolicitudo, quæ animis noſtris debet inſidere, de profligando tanto malo. Non deſinamus, cum charitate præparare & exhibere fratribus noſtris ægrotantibus remedia, quibus infallibiliter, ſi velint, ſanentur. Quin imò ſperare oportet, plures fore, qui eis uſuri ſint cum emolumento. Cæteri qui ſua infelicitate, illa reſpuent, ſaltèm excuſatione coram DEO carebunt, ſuamque pertinaciam ſolam, ſuæ perditionis cauſam agnoſcere, & fateri aliquando cogentur. Ut autem remedium hoc proſperè ſuum producat effectum, qualem in præſenti optamus atque intendimus; penetrare oportet, uſque in ipſam tanti mali ſedem, cauſamque, ut inde radicitus evellatur, & é fundamento evertatur. Si enim opiniones ſingu-

las, eorum, qui ſe à nobis ſegregarunt, debellare; & errores, controverſiasque ſingillatim impugnare velimus, exigua ſpes affulget, videndi finem tam magni, tamque ampli propoſiti noſtri. Unus ſolus articulus diſputationi ſufficiet unô etiam ſæculô duraturæ, & ſcriptioni centum voluminum licèt nunquam legendorum. Quàm diu enim ſtabit fundamentum errorum, & baſis diviſionis, quantumvìs cenſeatur, explicatos rite fuiſſe articulos, quibus dividimur; adhuc tamen difficile non erit, ut mox novi enaſcantur, novasque ſuſcitent diſceptationes, quæ non minore, quàm priores, urgebantur ardore; atque ità permoleſta controverſiarum monſtra ſe ſe in infinitum multiplicantia, ùt lugenda teſtatur experientia, periculum efficient, majus quàm unquam fuerit aliàs, & malũ tandẽ facient incurabile. Deveniendum itaque neceſſario eſt, ad cauſam atque Originem diviſionis, ibique remedium efficax applicare, quô deſtruatur, & noxii omnes effectus ejus præcidantur.

CAP.

CAPUT. II.

Quòd cauſa diviſionis ſit, diverſitas opinionum, de eo, quod DEUS dixit vel non dixit.

CHriſtiani omnes conſentiunt, quòd fides Chriſtiana ſtabilita & fixa ſit in duobus principiis, quæ ſunt fundamentum, motivum, atque tota ratio credendorum. Unum eſt Juris, alterum facti. Unum eſt evidens, alterum obſcurum. Primum eſt, quod ſemper & ante omnia præſupponitur, & de quo nunquam dubitatur, continеturque in hac propoſitione: *Id quod DEUS dixit, veritas eſt infallibilis.* Secundum eſt: quòd DEUS dixerit, ſeu revelaverit id, quod nobis credendum proponitur. Unde fit, quòd & facile credamus, & fide Divina credamus, ea, quæ ſcimus à DEO revelata eſſe.

Primum ſinè controverſia recipitur, univerſim ab omnibus Chriſtianis; nec in hoc ulla eſt diſſenſio vel

ſententiarum diverſitas. Cùm enim DEUS ſit ipſa veritas, quæ nec falli, nec fallere poteſt, ideo certiſſimi ſumus, id ſemper verum & credendum eſſe, quod Ipſe dixit: & quia fides Divina motivum non habet aliud, quàm ipſum Verbum DEI; ideo etiam omnes unanimiter ſentimus, quòd obligari non poſſimus ad credendum aliquid ùt articulum fidei, nisì quod DEUS Verbis ſuis mundo revelavit. Non igitur ex hac quæſtione Juris nata eſt diviſio; ſed ex diverſitate opinionum, ùt ſemper hactenus factum eſt, de altero illo principio, quod includit quæſtionem facti; nempe an articulus, de quo eſt quæſtio, ſit à DEO revelatus, & an in Ejus Verbo contineatur. Ecce id quod dividit animos, & cauſa fuit ſchiſmatum & hæreſum; quod tam horridè veſtem Chriſti dilaceravit, & Chriſtianos etiamnũ armat & incidat ad ſemet ipſos perimendos. De eo, non conveniunt, quod Deus locutus eſt, vel non eſt locutus: unus vult, hoc à Deo dictum eſſe, alter negat; alius quiſpiam, planè contrarium eſſe revelatum contendit. Ex qua opinionum diver-

diverſarum pertinaci pugna de iſta quæſtione facti, prodivit inter Chriſtianos ſeparatio, qui in re tanti momenti diſſentiunt, dum agitur, non ſolùm de uno fidei articulo, ſed de ipſo fidei principio, ex quo omnes pendent articuli. Impoſſibile autem eſt, quòd DEUS unam eandemque rem dixerit & non dixerit; ex quo facilè concluditur, quòd inter tam multos Chriſtianorum Cœtus ex diverſitate opinionum de Verbo DEI prolato vel non prolato; non niſi unicus ſit, qui habeat veram fidem: quandoquidem unicus eſt, qui pro parte ſua verum habere poſſit Verbum DEI; quod etiam unicum eſt. Ut igitur afferatur cauſæ diviſionis remedium, conſentiendum eſt unanimiter omnibus in quæſtione facti; quemadmodum conſentiunt in quæſtione Juris. Dicere volo: quòd ſicuti omnes unanimiter aſſentiuntur, verum eſſe omne id, quod DEUS dicit, ità omnes aſſentiri debeant unanimiter, quid DEUS dicat de articulo ad credendum propoſito. Quod ut fiat, alia hìc præſupponenda eſt veritas, quæ in dubium revocari non poteſt.

CAPUT. III.

Oſtenditur, neceſſarium eſſe cognitionem certam & infallibilem, quòd DEUS revelaverit hoc, quod tanquam fidei articulum credimus.

IN titulo capitis hujus, nulla eſt diverſitas doctrinæ inter eos, qui nôrunt, fidem Divinam niti teſtimonio DEI, quales ſunt, omnes univerſim Chriſtiani, regulam ſuæ fidei profitentes, eſſe Verbum DEI. Utique facilè creditur, oportet nos habere certitudinem infallibilem à ſolo DEO provenientem, quòd omne id, quod fide Divina credimus, verum ſit omni dubitatione ſecluſa; v. g. Verbum DEI eſſe incarnatum, quia nimirum id ipſe DEUS dixit. Ità pariter certos & ſecuros nos eſſe oportet, quòd re ipſa DEUS id revelaverit, & dixerit: De hoc enim ſe dubitare poſſemus, an ſcilicet DEUS id revelaverit; jam etiam de ipſa rei veritate dubitare poſſemus: cùm non

non aliter credamus, niſì quatenus perſuaſum habemus, id à DEO revelatum eſſe. In omnibus cognitionibus atque ſcientiis certitudo habe-ri debet de Concluſione, quatenus recta, certaque ſunt principia, quibus innititur. Non ignoramus, ſolem non eſſe tam magnum ac eſt mundus totus: quia certi ſumus, quòd ſol non niſì pars ſit mundi; pars verò ſemper ſit minor ſuo totò. Tales ſunt ſcientiæ omnes in ordine naturali, quæ fundamento huic adeò certo & evidenti firmiſſimè nituntur. Similiter in ordine ſupernaturali fidei Divinæ, in tantum certus ſum de myſterio, quod credo; in quantum certus ſum de fundamento & principio, in quo fides mea fundetur; nempe, quòd DEUS, cujus teſtimonium eſt infallibile, id revelaverit. Si ergo hæc mea cognitio non fuit certiſſima & infallibilis; jam etiam cognitio, quam habeo de ipſo myſterio pariter non erit certa & infallibilis; non alia de cauſa, quàm quia in priori caſu, non habui notitiam certam & infallibilem de revelatione

à Deo facta; atque ità aſſenſus meus non erit aſſenſus fidei Divinæ.

Ut Moles ædificii firma & immota ſtet contra impetus ventorum, tempeſtatum, atque torrentium, fundatum eſſe debet ſupra ſolidam petram. Si arenæ duntaxat innititur, non ſtabit ſuâ baſi & fundamentò firmiùs; ſemperque patebit ruinæ periculo tempeſtate adveniente. Ità ſe res habet cum aſſenſu, quem de myſteriis fidei habemus, qui ut omni ex parte certus ſit & infallibilis, ſitque actus fidei Divinæ, omnino neceſſe eſt, principium & fundamentum ejus eſſe immobile, certumque certitudine infallibili, quòd DEUS nobis revelaverit myſterium; ſinè qua certitudine aſſenſus noſter aliud non erit, quàm humanæ fidei actus, & fides noſtra, quâ ipſum credimus myſterium nobis propoſitum, non erit divina & infallibilis, ſed humana duntaxat, quæ plus firmitatis & certitudinis habere non valet, quàm ejus habeat motivum & fundamentum; atque ità erit fabrica fundata ſuper arena, (non in Petra) opinionis humanæ, quæ falſitati eſt obnoxia. Talis

lis quippe fides, reſiſtere non valet, teſtimonio ſenſuum experimentali, neque acutis Philoſophorũ ſophiſmatibus, aut moleſtis & importunis dubitationibus, ac perplexitatibus, quæ ab imbecillitate imaginationis humanæ, non rarò ſuſcitari ſolent adverſùs fidem: carebit enim ſcutô, quô ſe protegat ab hujusmodì telis; nec arma, quibus ſe defendat contra tot infeſtationes habebit: nec denique animata nobili quadam ferociâ de tot hoſtibus triumphante, dicere poteris; contemptis omnibus veſtris inſultibus, fatuisque luminibus, quæ nil nisì tenebræ ſunt, credo abſque dubitationis hæſitatione, quòd Deus ſit unus in natura & Trinus in perſonis, cùm certiſſimum ſit certitudine infallibili, quòd DEUS, qui eſt ipſa veritas, id nobis revelaverit.

His ità poſitis, ut notitia iſta infallibilis de revelatione divina poſſideatur, neceſſe eſt pariter nôſſe illa, ſinè quibus impoſſibile eſt certitudinem omnimodam ſtare, de revelatione à DEO facta, utpote quæ in ipſa revelatione Divina comprehenduntur, nimirum hæc tria: primum

eſt, quòd verè ac re ipſa ſit Verbum DEI, ſeu revelatio divina id, quod dicimus & appellamus Verbum DEI; ſcripturam dico ſacram, ſeu revelationem DEI loquentis: ſi enim de hoc dubitari poteſt; quamvis probè intelligatur quod dicitur; jam eo ipſo non erit certum, an DEus id locutus fuerit.

Secundum eſt: de quo certitudo habenda eſt; an ſcilicet, exemplaria & verſiones ſcripturarum ſacrarũ, conveniant, cum ſuis veris fontibus originalibus, nihilque habeant corruptionis admixtum, in deſumptis deſcriptionibus, quoad ſubſtantialia. De quo niſi omnigena certitudo habeatur, iterum certò ſciri non poteſt, an id, de quo agitur, ſit verum Verbum DEI; an verò quorundam hominum, qui ſive per ignorantiam, ſive per malitiam, verum DEI Verbum alteraverint atque corruperint.

Tertiò ſciendum certò eſt, an illud Verbum DEI, quod allegatur omnino verum & purum, intelligatur in ſuo vero ſenſu, quem DEUS loquens & revelans intendebat. Si enim de hoc certus omnino, & ſecurus non

ſis,

ſis, quomodo certus eris & ſecurus, quòd ille ſenſus, quem tu imponis Verbo DEI, ſit re ipſa ſenſus, in quo vêrè DEus locutus eſt? & conſequenter quomodo ſcirè infallibiliter potes, quòd Deus fuerit locutus aliquid, quod tu aſſeris eſſe revelatum & expreſſum, cùm fortè in alio planè ſenſu rem omnino diverſam ſignificet?

Evidens igitur eſt, quòd notitia iſta infallibilis ad credendum neceſſaria, de Deo illum articulum fidei, qui ad credendum proponitur nobis revelante, debeat etiam ad hæc tria jam dicta ſe extendere, ſinè quibus certi & ſecuri nunquam eſſe poſſumus, de Divina revelatione. His tanquam indubitatis modò præſuppoſitis, neceſſe eſt, ut antequam jungamur nobis invicem, aliam adhuc mutuo conſenſu ineamus conditionem.

CAP.

CAPUT. IV.

Probatur; ad procurandam iſtam notitiam certam & infallibilem de revelatione Divina, neceſſariam eſſe regulam & Authoritatem aliquam ſupremam, quæ in rebus fidei controverſis diſcernat verum DEI Verbum à falſo.

NOn poſſum perſuaderi, poſſe in controverſiam rationabiliter vocari inter nos, aut inter quaſcunque ſectas, quæ ſe à nobis ſepararunt; aliquam eſſe, aut eſſe poſſe, quæ difficultatem faciat, in concedendo iſto principio, ùt opinor, apud omnes univerſali. Certè unanimiter agnoſcimus omnes, quòd ad diſcernendum verum articulum fidei à falſo, & ad diſcernendas myſteriorum veritates, quas credere debemus; Deus peculiari ſuâ providentia nobis tribuat regulam certam & infallibilem, cum authoritate ſuprema, quæ diſcer-

nat

nat & decidat, hanc revelationem eſſe veram; cui mox omnes noſtras privatas cogitationes, quæ in contrarium inſurgere poſſent, ſubjicimus: aliàs enim nunquam certi & ſecuri eſſe poſſemus de articulis credendis vel non credendis: & ſi aliquos crederemus, certam & infallibilem notitiam habere non poſſemus de fide noſtra; quia nimirum regula ipſa, cui fides noſtra innititur non eſſet nobis certa & infallibilis. Ego ſimiliter, ut revelatio Divina vera diſcernatur à falſa; neceſſe omnino eſt, ut de vero ſenſu ejus & interpretatione judicetur, & conſequenter quòd Divina Providentia nobis reliquerit certam & falli neſciam regulam, juxta quam definiri poſſint dubia, de hac re emergentia; & ità intellectum hominum determinari ad eam ſequendam, ut falli non poſſit: alioquin in dubiis & litibus, quæ in hac materia ſæpiſſimè oriuntur, nunquam omnino certi eſſemus, de ipſo fidei Principio neque de articulis fidei, qui ex Principio illo deducuntur, ut per ſe manifeſtum eſt.

Hoc

Quòd juberentur homines credere, non autem quid eſſet verum, certiſſima ratione docerentur.

1. Retract. c. 14.

Lib. de Utilit. credendi ad Honor.

Hoc argumento S. Auguſtinus utitur contra Manichæos, qui humanam rationem præferebant fidei, & Catholicos deridebant, quòd ſimpliciter credere cogerentur, quin eis evidenter oſtenderetur ipſa myſteriorum Divinorum veritas. Unde ſuperbi homines iſti, è proprio ingenio Divina metientes, exiſtimârunt, non ſatìs conſonum eſſe rationi Teſtamentum vetus, illudque à DEO eſſe negabant. Magnus Auguſtinus, ut quemdam ſuorum ab hoc errore abſtraheret, librum ei obtulit, quem de hoc argumento conſcripſit, ubi neceſſitatem credendi oſtendit, & ſupremam authoritatem, regulamque certam ſequendi, quæ intellectum humanum determinet, & veritatem, aliâ viâ incognoſcibilem aperiat. Inter alia momenta rationum, illud etiam adducit, è Providentia Divina petitum: *Si Providentia DEI non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum: ſin autem præſidet; non eſt deſperandum ab eodem ipſo*

DEO

DEO, authoritatem aliquam conſtitutam eſſe, quâ velut gradu certo attollamur ad DEUM. Humanus enim intellectus tam altè volare non valens, viribus ſuis penetrare non poteſt in arcana Divina, ut ibi condiſcat, quando DEUS loquatur, & in quo ſenſu verba ejus intelligenda ſint; quæ plerumque myſteriis plena ſunt, & conſequenter multarum occaſio diſceptationum, propter interpretationes penitus diverſas, quæ ab humano intellectu excogitantur. Itaque neceſſarium eſt, à DEO proviſum eſſe hominibus de ſecuro Duce, qui certa & infallibili authoritate polleat, ad enodandos ejusmodi caſus obſcuros, & nos manuducat, nè ſoli ambulantes, incidamus in tenebras incertitudinis, declinemusque in viam, quæ ducit ad falſitatem; ſed potiùs haud difficulter inventæ conjungat veritati.

Et nonne ſecundùm Apoſtolum, *Hebr. 11.* *Fides eſt argumentum: non apparentium?* Quòd non ſolùm eſt verum de myſteriis, quæ credimus,

mus, ſed etiam de ipſo principio fidei, quod eſt Verbum DEI. Ut igitur ſecurè inter has tenebras ambulemus, requiritur, ut, quemadmodum, Verbum hoc Divinum habemus pro regula certa & infallibili rerum credendarum; ità etiam habeamus aliam regulam, quâ ſecuri reddamur, quòd ea, quæ pro Verbo DEI recipimus, verè ac re ipſa ſit Verbum DEI: quâ ſi deſtituamur, ſemper locus erit hæſitationibus, quas fides non patitur. Propter hanc igitur cauſam, omnes illi fatentur fidei regulam eſſe Verbum DEI, etiam in hoc principio conveniunt, neceſſariam eſſe, notam nobis aliquam certam infallibilitatis & authoritatis regulam, quæ in exorientibus de Verbo DEI controverſiis, certò & ſinè periculo errandi oſtendat, id quod DEus dicit, vel quod non dicit, de aliquo articulo ad credendum propſito.

Quô ſolidè probato & ſtabilito, demonſtrare inprimis intendo, quòd omnes cœtus, ſeu Societates Chriſtianorum, quæ ſe à nobis ſegregarunt, nihil habeant, quô certi atque

ſecuri eſſe poſſint de hac jam dicta regula, quæ eſt principium & fundamentum veræ fidei: deinde, penes nos talem eſſe regulam, quæ evidenter non nisi unica eſſe poteſt, atque omni ex parte infallibilis & indefectibilis. Ex his manifeſtè & irrefragabiliter concludam, quod omnes fratres noſtri, ſeparati, nobis iterum uniri & ad Catholicam redire teneantur Eccleſiam, ſi fidem velint habere Divinam, eſſeque Chriſtiani in ſpiritu & veritate, & non ſolùm apparenter, id eſt, cum ſimplici quadam opinione & fide purè humana.

CAPUT. V.

Oſtenditur, quòd de hoc, fuerint omnibus temporibus controverſiæ inter Chriſtianos.

QUemadmodum iſta diſputatio, omnium ſcaturigo eſt hæreſum & diviſionum, quæ unquam fuerunt, & adhuc durant, contra omnes ferme articulos, & cuncta fidei myſteria; ità in omnes alias, quæ unquam inter

inter Chriſtianos excitatæ fuerunt controverſiæ, iſta eſt potiſſima, nempe de Verbo DEI, quæ in tot ſectas contrarias humanas diviſit opiniones. Primò enim vix aliquid enormiùs eſt, varietate opinionum, quæ ab ipſis incunabulis Chriſtianæ Religionis bellum indixit hodie non dum exſtinctum, de ſacris libris, & ſcripturis Canonicis, in quibus continentur ea, quæ DEus locutus eſt, per ſuos Prophetas, Apoſtolos & Evangeliſtas. Inter illos ipſos libros, qui à fratribus noſtris Proteſtantibus recipiuntur, & admittuntur, nullus eſt, qui aliquando non fuiſſet in quæſtionem vocatus. Cerdonus, nec audire voluit de veteri teſtamento; Valentiniani, Archontici, & Manichæi, illud quoque rejecerunt. Ebionitæ damnârunt quatuor Prophetas Majores, cum libris Salomonis & Pſalmis Davidicis. Nec mitiùs habitum eſt novum teſtamentum: Marcionitæ, non niſi S. Lucæ Evangelium receperunt. Ebionitæ, ſolum S. Matthæi; epiſtolas S. Pauli Apoſtoli nolentes agnoſcere. Diſcipuli Cerdonii parvi pendebant Actus Apoſtolicos,

Epiphan. Hær. 41.
Id. in Anaceph.
Id. Hær. 30
Id. Hær. 40
Iren. l. 1. c. 6.
Epiphan. Hær. 30.
Tertull. de Præſcript. c. 51.

cos, à Magiſtro ſuo cenſura notatos.

Porrò: quam multi reſpuerunt libros illos ſacros, quos nos recipimus! quoties nonnulli receperunt tanquam libros ſacros, quos nos rejecimus ùt apocryphos, ſuppoſititios, & omni authoritate Divina deſtitutos. Tot Acta Apoſtolica, tot Apocalypſes, tot Conciones, tot libri, qui antiqua in Eccleſia mentiebantur nomina S. Petri, S. Pauli, S. Andreæ, S. Thomæ, tótque aliorum; ſemper inveniebant Patronos & Sectatores conſtanter aſſerentes, fidem illis habendam eſſe, tanquam ſcriptis Apoſtolicis à Spiritu Sancto dictatis: & nihilominus perſuaſum habemus, libros illos omnes aliud non fuiſſe, quàm inventa hominum, & quòd ii, qui eos Divinos crediderunt, aut deceptores fuerint, aut decepti.

Et quod plus eſt, Proteſtantes in Gallia ſinè difficultate agnoſcunt & admittunt, ùt Canonicos certos aliquos libros, qui non ſemper pro talibus, ùt ajunt illi, habebantur in veteri Eccleſia. Calvinus enim, ùt videre eſt in Præfatione ſui Commen-

tarii

tarii in Epiſtolam ad Hebræos anim
advertit, quod illa ſat ſerò acceptat
fuerit in Eccleſia latina; idem dici
de Epiſtola S. Jacobi, & S. Judæ
quæ longiſſimo tempore fuerint apu
Lib. 3. c. 18 Veteres Chriſtianos dubiæ. In ter
Epiſt. 129. minis ferme conſonat Calvino, Beza
idemque affirmat de Apocalypſi
juxta id, quod de ea ſcripsêre Euſe
bius, & S. Hieronymus. Quod etian
verum putant de Epiſtola ſecunda S
Petri, de prima & ſecunda S. Joan
nis, ut ità jure merito tranſeundun
fuerit ab hac notitia dubia & incer
ta ad aliam notitiam certam & infal
libilem, qualem nunc ſe habere pu
tant. Interim tamen non deſunt, qu
dicant, eos decipi, & quidem illi ipſi
quos magnis elogiis proſequuntur
eosque ſolemniter per decretum Sy
nodale, ſuæ adſcribunt Communio
ni. Lutherus namque ipſe, cui ſplen
didum Excellentis Apoſtoli impoſuê
re titulum, qui, ut de illo Calvinu
Calvin. contra Pigh. opuſ. de reformatione Eccleſiæ. loquitur, ſua prædicatione funda
vit, ſtabiliîtque Eccleſiam, hic in
quam homo tam admirabilis juxt
Calvinum, reſpuit cum opprobrio
verbis etiam injurioſis, easdem ſcrip
turas

turas, quas Proteſtantes Eccleſiæ reformatæ, id eſt, Calvinianæ, accenſent Catalogo ſacrorum librorum in Canone ab ipſis confecto. En magnam ſanè inter illos controverſiam. Nuſquam admittere volunt libros Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Prophetiam Baruch, & alias quaſdam ſcripturas, quas nos credimus eſſe Divinas, conſentientibus nobis ſummis Eccleſiæ antiquæ Viris, prout ipſe Calvinus, dum magìs invaleſcit diſputatio, fatetur. Hic idem Calvinus tandem non omnino ſuis conſentiens, tenet utì nos, Caput Octavum S. Joannis, pro Canonico; à quo diſſentit Beza; qui determinare ſe non poteſt, ad recipiendam pro vera vel ſolùm pro vero ſimili, multò minùs pro divina, hiſtoriam de muliere in adulterio deprehenſa, quam ad Chriſtum Phariſæi adduxerunt. Qualem fluctuationem & incertitudinem tandem non progignent in animis hominum omnes iſtæ diſſenſiones, ſi nulla detur in mundo regula & authoritas, quæ talia decernat atque definiat? *Comment in Joan.*

Inſuper, quanta confuſio erit ex diſceptationibus pertinacibus, de ipſis ſacrorum librorum Originalibus, de deſumptis, item de eorum verſionibus, ut ſciatur an exempla deſumpta ex originalibus Hebraicis, & Græcis, quæ usque ad nos nunquam pervenerunt, ſint pura, genuina, & incorrupta? an potiùs immutata, vitiata, & corrupta, ſive à Judæis, ſive ab Hæreticis, idque ſeu per ignorantiam, ſeu per malitiam, ſeu denique per negligentiam Amanuenſium; an nihil eis additum, nihilve detractum? quod exemplar cæteris præferendum in tanta eorumdem, & ab invicem diſſonantium, qualia in Eccleſia viſebantur, multitudine? An ſolùm adhærendum ſit Originalibus? an etiam deferendum aliquid verſionibus? hæ rurſus an fideles ac genuinæ ſint, & ſuo conformes prototypo? quæ denique illa, quam ùt authenticam fidei noſtræ regulam ſequi oporteat? Denique tametſi unanimes in his omnibus eſſemus, nónne adhuc temporibus noſtris vidcmus, quanto cum ardore diſpute-

tu

tur de vero ſacrarum ſcripturarum ſenſu, dum eas pars contraria pro ſe allegat? Et hæc eſt vera & principalis cauſa, ex qua tantus provenit ſectarum inter ſe ipſas pugnantium numerus, dum unaquæque ſibi veram ſcripturæ intelligentiam vendicat, licèt planè contraria ſit illi, quam pars altera ùt veram ſibi attribuit. Certum eſt, quòd ob hujusmodi fluctuationes partium ſibi contrariantium inter Viros doctos, ingeniô ac eruditione pollentes circa materiam, ſenſui humano, & rationi naturali non omnino evidentem; nos ipſi, ſaltem ancipites hæreremus, ſi non haberemus certam & infallibilem aliquam regulam, quâ diſcernere poſſimus verum à falſo: quæ regula niſi eſſet infallibilis & in Divina authoritate fundata, noſtra fides, quæ in ſola iſta authoritate Divina ſtat, aliud non eſſet, quàm fides & opinio humana, cum inſeparabili formidine de fallacia. Si ergo Proteſtantes nullam talem certam & infallibilem habent regulam, prout ſe habere putant; hæc neceſſariò eſſe deberet, vel ſcriptura,

vel Traditio, vel Eccleſia, vel interio[r] perſuaſio & unctio Spiritus Sancti i[n] unoquoque, ſeu ſpiritus privatus : neque enim aliud quidquam excogitar[i] poteſt præter iſta memorata, ad qua[e] omnia reducuntur. Nunc igitur oſtentendum eſt, quòd nihil horum quatuor habeant, quô tutè certi eſſe poſſint, certitudine infallibili inter tot, tamque importunas, ac toties emergentes difficultates.

CAPUT VI.

Oſtenditur, quòd ſcriptura Sacra non poſſit eſſe Regula infallibilis Proteſtantium ad judicandum de Verbo DEI ſecundùm literam, ſeu in ſenſu literali conſiderato.

NOn ignoro, à Dominis Proteſtantibus perpetuò nobis dici, quòd nullam aliam regulam infallibilem admittant, ad diſcernendum articulum fidei verum à falſo, præter ſolum & purum Verbum DEI, prout eſt

eſt in ſcriptura Sacra, ſecundùm Canonem, quem de ſacris libris ad ſuum commodum & placitum confe:erunt; quem hic loci impugnare nolo, cùm de illo jam nobis ſermo non ſit; & de quo, diſſerendi occaſio redibit alibi. Id quod conſtanter aſſero, eſt, quod abſolutè ſit impoſſibile, apud ipſos ſcripturam Sacram eſſe regulam, quâ certi fiant de Principio fidei, aut ſcriptura, quam proferunt ad firmandum aliquem articulum fidei eſſe verè, ac reipſa purum Verbum DEI ſecundùm literam, id eſt, quòd illud, quod legunt, ſit à Spiritu Sancto dictatum. Scriptura enim nuſquam affirmat, illud eſſe à DEO, quod ipſi in Canonem ſuum inſerunt, & non eſſe à DEO id, quod ipſi rejiciunt. Et ſi etiam hoc affirmaret; quomodo ſcient illi, quod iſta ſcriptura id aſſerens, ſit Divina? ex quo ſigno, aut ex qua nota certò ac infallibiliter deprehendent, quòd non ſit inventionis humanæ, prout alii dicunt? cùm enim hic, factum ſit controverſum; ſummè neceſſarium eſt, tum ut declinent, ab incertitudine, tum ut diſcernant verum à falſo, neceſſe inquam

quam eſt, habere quidpiam, quô certò & infallibiliter cognoſci poſſit, quòd hæc ſit vera ſcriptura, vel quòd non ſit. Hoc iterum cognoſcendum eſt vel per hanc ſcripturam ipſam, vel per aliud indubitatum indicium & ſignum aliunde proveniens. Si id agnoſcas è ſigno aliquo extrinſeco; iterum quæritur, unde & à quo illud proveniat; & tum ſimul cogentur agnoſcere, notitiam iſtam nequaquam haberi poſſe per ſcripturam, qua ſciant ſcripturam ſuam à DEO eſſe. Ex quo ſequitur, quòd ſi nihilominus ſcire velint, rem ità ſe habere, ùt dicunt; dicere cogentur, quod ſcriptura per ſe ipſam, ſe manifeſtet, non ſecus ac principia ſcientiarum per ſe, & lumine naturali nota ſunt; ùt: quòd omne totum ſua parte ſit majus: quod ut intelligatur, aliis probationibus non indiget, ſed ſolis terminis rite penetratis cognoſcitur. Talia principia naturalia ſimul & ſemel intellectum ſuo implent lumine, nulla obſcuritate relicta; mentemque ſinè reſiſtentia ſubintrant, illam totam in ſui aſſenſum rapiunt, quin ullo extrinſecô egeant admi-

adminiculô ad occupandum intellectum. Itâ profectò aſſerit Calvinus, quòd Verbum DEI in ſcriptura ſacra ſua propriâ luce ac ſplendore ſe manifeſtet, atque innoteſcat, non minore certitudine, quàm certò videmus lucem dum eam intuemur; habeatque in ſeipſo, absque alio indicio & ſigno, quô diſtinguatur & diſcernatur à verbo hominis, eâ facilitate, quâ propriis duntaxat qualitatibus album diſcernitur à nigro, & dulce ab amaro. *Lib. 1. Inſtit. c. 7.*

Mira profectò eſt iſta propoſitio, & audax comparatio; ſed minimè vera, ùt quæ omnia contraria oſtendit. Lux quidem ſplendore ſuo proprio innoteſcit, ſed non niſi durante die, dulcêdo quoque & amarities; ſicut calor & frigus ſolâ ſuâ præſentiâ & applicatione debita innoteſcunt ſenſui; cùm nemo dubitare poſſit an in meridie ſit nox; an fel dulce ſit, aut mel amarum; an ignis ſit frigidus, & glacies ardeat; de his nulla unquam eſt controverſia: tam enim ſunt hæc manifeſta, ut nemo de iis poſſit vel dubitare vel diſceptare: nec ad talia probanda, opus eſt rationes

quærere, dum ſe ipſis ſatis firmantur, & nativâ ſuâ evidentiâ in ſenſum penetrant & convincunt. At verò unde provenit, quòd tam multæ & contrariæ ſententiæ audiantur de libris Canonicis? unde controverſia de Apocalypſi? de Epiſtola ad Hebræos? & ea, quæ diſputari poſſunt de omnibus aliis ſcripturis ad ſciendum, an ſint à DEO, an ab hominibus? Hæc profectò evidentia adeò non ſunt, ut potiùs nec ratio, nec ſenſus, poſſit nobis illa oſtendere. Inde fit, quòd neque ratio neque ſenſus talia probent, aut demonſtrare conentur; & nos omnes, relinquerent in ſumma & perpetua ambiguitate; intrà limites cujuspiam ſimplicis conjecturæ; niſì aliud certum aliquod & omni ex parte ſecurum haberemus teſtimonium authoritatis irrefragabilis.

Du Moulin Bovel. Sect. 7. Quamobrem diſcipuli Calvini, videntes, quod hujusmodi doctrina illudat ſano intellectui, & nullatenus valeat ſuſtineri, conati ſunt eam temporibus noſtris attemperare, ut faciliùs admitteretur ab aliis. Parum enim illis eſt, mutare ſæpiſſimè, ùt ſolent, rationem ſe ſe defendendi

in

in rebus controverſis. Poſtquam aliquamdiu locum aliquem defenderunt, in alium ſe recipiunt, ut nos ad novam pugnam compellant, novis armis inſtituendam, ſicque tandem aggreſſionum varietate fatigent. Nunc igitur dicunt, quòd Verbum DEI ſe ipſo & luce ſua propria verè nobis innoteſcat, ſuaque efficaciâ tangat corda, aliter quàm verbum hominis; ſed id non contingere nisì ſolis electis fidelibus, ac DEUM timentibus: talibus enim ità ſe inſinuat, ut ab eis facilè diſcerni valeat Verbum Divinum à non Divino. Si verò quispiam non experiatur ſe tangi ab hujuſmodi virtute occultâ ad faciendum hoc diſcrimen, id aliud non eſt, ajunt, quàm juſtum DEI judicium, quo punitur ob injuriam Verbo ſuo Divino irrogatam.

Maiſtrez. l. 1. del. Eglis. c. 11

At quis non videt, moderamine iſto, minùs tollerabilem reddi Magiſtri ipſorum doctrinam, quàm fuerit antecedenter? Primò enim nonne dici poteſt, virtutem illam & efficaciam, quæ non ab omnibus, ſed à certis duntaxat percipitur, valde ſimilem eſſe, perſuaſioni internæ ſpiritus

privati? de quo hiſce temporibus nil ampliùs audire volunt, & nos de illo ex propoſito agemus, in gratiam eorum, qui forte adhuc aliquid de illo retinent. Illi, qui libros apocryphos ſequantur, & veros ſacros rejiciunt, nonne dicere poſſunt: Nos ſumus fideles, electi, & timentes DEUM; experimur vim arcanam in his, & non in aliis libris, quos legimus? Proteſtantes Lutherani, idem dicunt, ùt Calviniſtæ, utrisque interim reprobantibus aliquam ſacrarum paginarum partem, aliam probando, & retinendo: quis perverſum hunc ordinem corriget? unuſquiſque igitur ad placitum, ſibi ſcripturas conſtituet. Deinde quam certitudinem, & undê habetis vos, de receptione hujus efficacia ac virtutis Divinæ? Homines eſtis: quilibet autem homo in ſimilibus decipi poteſt, illuſionem, & motum purè naturalem accipiendo pro impreſſione Divina: quid fiet de Veſtra fide, tam mutabili fundamento nixa?

Præter hæc, Providentia Divina, cujus cura ſe extendit ſuper omnes & ſingulos homines, præcipuè in rebus

bus ad ſalutem neceſſariis, munire nos debet aliquâ regulâ infallibili, certos & ſecuros nos reddendo de principio fidei, ùt ſupra vidimus. Neceſſe igitur eſt, ut improbi æquè ac fideles & probi cognoſcere ac diſcernere poſſint Verbum DEI, ut credant credenda, & per fidem convertantur. Quomodo enim fieri poſſet, ut infidelis veniat ad Chriſtum per fidem, ſi non credat Verbo DEI? quomodo poteſt credere, ſi non audiat à prædicante Evangelium: & ſi non ſit firmiter perſuaſus, id, quod prædicatur, eſſe à DEO? Ergo in his edoceri debet, antequam ſit fidelis. Non certè, quia fidelis eſt & credit, ideo agnoſcit re ipſa eſſe Verbum DEI, quod Ei proponitur; ſed è contra potiùs, ideo eſt fidelis, quia præviè agnoſcens, quòd DEus loquatur, præbet aſſenſum, ſitque fidelis.

Ampliùs dicamus: nonne verum eſt, quòd nemo poſſit eſſe fidelis & credens, absque fide? hocne haberi poteſt, quin credat DEO loquenti? Poteſtne ità credi, quin certò ſciatur, eſſe Verbum DEI, illud, quod ſibi prædicari audit? dicere itaque prout

in præſenti accidit, quòd ſcriptura luce ſua propria & virtute innoteſcat ſolis fidelibus, idem profetò eſt, ac dicere, quòd Verbum DEI non patiatur ſe agnoſci ac diſcerni, niſi ab illis; qui jam aliunde illud nôrunt: & hoc iterum aliud nihil eſt, quàm evertere id, quod ſtabilire conabantur adverſarii. Quia verò ad evitanda hujusmodi inſuperabilia argumenta, non ſufficiunt Miniſtris Proteſtantibus ullæ ſubtilitates, aut eluſiones; nolo jam aliis contra eos, quàm propriis ipſorum uti armis. Nam poſt magnas laudes à Calvino & Beza, attributas Luthero tanquam Apoſtolo miſſo à DEO, ad reparandam, imò & fundandam de novo Eccleſiam, & poſtquam per decretum Synodale, Proteſtantes Galliæ receperunt in ſuam communionem Lutheranos tanquam ejusdem Eccleſiæ membra; nullatenus dubitari debet aut poteſt, quin eos habeant pro veris fidelibus, & timentibus DEUM: & nihilominus certum eſt, quòd Lutherani rejiciant aliquos libros, quos Calviniſtæ in Gallia venerantur ùt Canonicos, inter alios, Epiſtolam ad Hebræos, S. Jacobi,

Calv. adv. Pigh. Beza in Icon.

Jacobi, & Apocalypſin, licèt in hac dicatur, quòd quicunque præſumpſerit ex illa verbum detrahere, non ſit habiturus partem in vita æterna, & delebitur de libro vitæ: quamvìs enim quandoque ignorari poſſit aliqua veritas; nunquam tamen licitum eſt, amplecti errorem, & conſequenter rejicere tamquam profanum, quod verè ſacrum & Divinum eſt; aut ſequi tamquam Divinum, quod re ipſa profanum eſt. Ex quibus planè conſequitur, quòd ſi ſcriptura Sacra per ſe ipſam innoteſcit electis & fidelibus, eô ipſo Calviniſtæ vel Lutherani, item Calvinus & Beza, diſſentientes de Capite 8. S. Joannis; imò Patres ipſi primorum quatuor ſæculorum, & totum Concilium tertium Carthaginenſe, à quibus recepti fuêre libri, quos iſti rejiciunt, reprobi, cæci vel improbi & infideles fuerint in eadem ipſorum Eccleſia; quod Domini Proteſtantes non obſervârunt.

Licet mihi jam eos interrogare: an in primis illis ſæculis, ubi nondum relata erat in Catalogum ſacrorum librorum epiſtola ad He-

bræos, neque Apocalypſis; fuerint fideles in Eccleſia? & an ſummi illi Viri & Patres tam Illuſtres, quorum authoritatem revereri videntur, fidemque admittere, fuerint homines, vera fide deſtitúti, cæci absque lumine, absque timore DEI? cùm in eorum libris nondum repertum fuerit Verbum DEI, quod à verbo humano diſcernere nequiverunt? quò devenit Verbi DEI ſplendor, magnificentia & Majeſtas? quò hæc arcana virtus, divina iſta efficacia? quæ illico ſeſe ingerit oculis mentis, tangitque corda, ità ut nec momentô de illa poſſis ambigere? hácne virtute tunc Verbum DEI caruit? Non ergo fuerunt libri illi verum DEI verbum, quod ſeparari nunquam poteſt à ſuis proprietatibus, quibus diſcernitur ab omni non-ipſo; adeoque hodiedum non ſunt Verbum DEI. Si autem ſcripturæ illæ habuerunt hanc vim ſuam lucemque ſibi ingenitam; neceſſariò ſequitur, quod omnes illi magni ſancti, cum omnibus Chriſtianis felicium illorum temporum fuerint meri infideles, cæci, & indurati

rati homines, cùm eos nunquam hæc virtus efficax tetigerit, ut diſtinquerent ſcripturam ſacram à non ſacra.

Tot tantisque rationum momentis hactenus allatis, addamus, teſtimonium ab experientia. Deligant Proteſtantes unum aliquem de ſuis fidelibus, quem judicant eſſe firmiſſimum in fide, & magno timore DEI præditum; Eique non præmonito exhibeant Canonem librorum ſacrorum, & ſimul offerant legendos, Eccleſiaſten, & Proverbia; Eccleſiaſticum, ſapientiam: libros Ruth & Tobiæ, Judith, Regum & Machabæorum, ut è ſingulis unum legat caput, prout in verſione Genevenſi habentur: tum Ei Miniſter dicat: Frater mi, en libros, quorum alii continent purum DEI Verbum, alii non nisì humana complectantur commenta, pleni mendaciis, fabulis, & doctrinis pugnantibus cum ſcripturis Divinis, prout docemur à Domino Mulineo in ejus egregiis operibus, præſertim Clypeo fidei, & de novitate Papatûs; diſtinque jam & diſcerne inter hos & illos; quod

quod utique præſtare potes no
minùs, quàm diſcernere diem à no
ɛ̃te, album à nigro, dulce ab ama
ro. Vera namque ſcriptura ſacra
ſe ipsâ innoteſcit ſolis inſtar, lum
ne proprio ſuaque virtute efficac
percipitur ab iis, qui, utì Tu, ſun
fideles, & timentes DEum. Vide
bimus certè hominem ſatìs perple
xum, qui tandem ſincerè fateri de
bebit, ſe cum toto illo lumine a
ſplendore denique videre nihil
quamvìs, nullatenus dubitet, ſe fide
lem ac timentem DEum eſſe. Pro
inde manifeſtum eſt, quòd ſcriptu
ra ſacra per ſe ipſam Proteſtantibu
non innoteſcat; & nisì aliam habe
ant regulam, quâ dirigantur, nun
quam certi eſſe poſſunt, dum ean
legent, quòd id, quod legunt,
DEO proveniat, vel ſi proveniat
DEO, non ſit corruptum, ſive in
exemplari deſumpto, ſive in verſio
ne; id quod luculentiùs patet
quando de vero ſenſu, qui eſt ani
ma ſcripturarum ſacrarum,
mox agitur.

CAPUT

CAPUT VII.

Oſtenditur, quòd ſcriptura ſacra non poſſit eſſe Regula ad judicandam de vero ſenſu Ejus.

QUemadmodum verba, ſeu ſcripta, ſeu viva voce prolata ſunt expreſſiones internarum cogitationum loquentis aut ſcribentis: ità ſi detorqueantur ad alia penitus diverſa ſignificata, nihil ſunt aliud, quàm corpus absque anima, nihilque habent ampliùs de illo interno mentis concepta, ad quem ſignificandum adhibita fuêre: & in ſenſu contrario accepta deſinunt eſſe, quod verè fuerant, verba nimirum loquentis vel ſcribentis. Jam ſi communi conſenſu teneremus, quòd ea, quæ in ſacris paginis legimus, dictata ſint à Spiritu Sancto; tametſi certi non eſſemus de ſenſu, in quo ea dictaverat; ſecuri tamen eſſemus & ſumus, de vero Ejus verbo, & quòd illud audiamus & percipiamus. Ideoque neceſſaria eſt aliqua certitudo infallibilis de vera, genuina, & per-

& perfecta Verbi DEI intelligentia
& vero ſenſu Ejus: quod Proteſtan-
tes nunquam obtinere poſſunt pe
ipſam ſcripturam.

Ut veritatem iſtam dilucidè oſten
damus, non opus eſt prolixis diſpu
tationibus; prout communiter fier
conſuevit, de obſcuritate ſcriptura
rum, ac difficultate in exponend
& deprehendendo vero earum ſenſu
Marc. 14. Nihil clariùs habemus in ſcripturis
13. quàm quòd ſcriptura ſacra ſe ipſan
1. *Cor.* 12 nullibi minùs explicet, quàm d
30. ſua obſcuritate: nec quidquam com
2. *Petr.* 3. munius eſt videre in ſanctis Patri
11. 15. bus, quàm ſemper exaggerare ſum
&c. mam difficultatem penetrandi nu
bes illas, illas tenebras, illas deſer
tas ſolicitudines, illas umbras & ca
ligines, illum theſaurum abſcond
tum, illud mare, illam profundita
tem, illas abyſſos, illa myſteria
denique illa ænigmata ineffabili
ſcripturæ ſacræ. Ità de illa ſunt lo
cuti ſapientiſſimi & illuminatiſſim
Patres in plurimis locis, operun
ſuorum; prout videre eſt apud Con
troverſiſtas, qui illis præclarè u
ſunt ad formandos ſibi locos com
mune

munes in hac materia; Ipſis etiam Proteſtantibus hìc concedendum eſt, eos non ità ratione deſtitutos eſſe, ut apertam iſtam negent veritatem; Ipſi enim deſudant, ut ingrediantur arcana ſcripturarum, & difficultatem ſui laboris experti, magnos commentarios in ſcripturas conſcripſerant, ut eas explicarent, prout requiritur, ad firmanda ſua dogmata. Lutherus ipſe, ùt ût intrepidus & audax, fatetur, à ſe non eſſe expectandum id, quod nemo hactenus Doctiſſimorum, Sanctiſſimorumque Virorum præſtare nunquam potuit; ſe nimirum intelligere non poſſe, neque explicare omnes Pſalmos in vero & legitimo eorum ſenſu: facile ſe contentari, ſi aliquos, eorumque partem ſaltèm aliquam rite intelligeret: addit inſuper; hominem impudentem atque temerarium eſſe, qui dicere auderet, quòd rectè penetraverit ſenſum unius tantùm libri Sacri ſecundùm omnes ſuas partes. Proinde non negant ſcripturæ obſcuritatem; ſolùm dicunt, eam obſcuram non eſſe fidelibus & electis, in quibusdam rebus, in quibus

Præfat. in Pſ.

bus nos aſſerimus eam eſſe obſcuram; & præcipuè in illis, quæ ad ſubſtantiam Religionis pertinent & fidei, ſinè quibus obtineri non poteſt Salus.

De his porrò diſputare nolim; id enim in præſenti planè ſuperfluum eſſet. Certum & indubitatum eſt, quod cunctis temporibus magna ac celebres exſtiterint controverſiæ, de nonnullis textibus ſcripturæ, ubi de præcipuis Chriſtianæ Religionis agebatur articulis; ſicut etiam de aliis, quos in uno ſenſu acceptos adverſarii damnant erroris, & nos viciſſim illos, demonſtrando, quòd in ſenſu adverſariorum ſuſtineri non valeant absque hæreſi. Nullus eorum hæreticorum eſt, quos Proteſtantes Galliæ, damnârunt anathematis, qui non conati fuerint, ſua dogmata longo authoritatum ſcripturæ ſacræ ordine fulcire; quas interpretati ſunt in ſenſu penitus contrario illi, quem illis exhibemus. Laborant, quomodo noſtris textibus reſpondeant, aliam illis tribuendo explicationem, quâ eosdem contra nos retorqueant:

ant: ità ut ex iisdem verbis ſcripturæ à nobis allegatis, illi res penitus diverſas exprimant, veluti à ſpiritu Sancto intentas. Pleni ſunt omnes libri Sanctorum Patrum, verbis ac teſtimoniis ſcripturarum, quibus Ariani, Macedoniani, Apollinariſtæ, Neſtoriani, Donatiſtæ, Pelagiani, & ſexcenti alii ſimiles hæretici utebantur, ad confirmandos errores ſuos, & quemadmodum S. Auguſtinus obſervat Priſcillianiſtæ *Manichæis verſutiores, quòd nihil ſcripturarum Canonicarum repudient, ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertant, quidquid in libris Sanctis eſt, quod eorum evertat errorem.*

Similia loquentes fidelibus, non ſolùm diſſimilia ſapiunt, ſed & contraria. Irenæ. adv. Hær. l. 3. c. 19. De Hæreſ. ad Quod vult Deum. hæreſ. 70.

In hac tanta ſententiarum diverſitate de uno ſolo textu, neceſſaria cùm ſit, ùt conventum eſt, regula quædam infallibilis, humanum dirigens intellectum ad eligendum ſenſum verum, & repudiandum falſum; quomodo id præſtare poteſt ſcriptura ipſa, quæ nusquam loquitur de hujusmodi controverſia;

ut

ut edicat, quomodo ipſam intelli-
gere debeamus, ut ſic litem abſo-
vat? Dici profectò nullatenus po-
teſt, hanc regulam eſſe illum ipſu-
textum, de quo diſceptatur, cù-
ipſe ſit in quæſtione inter duas pa-
tes litigantes; nec ſe defendat, ſe-
unicuique liberum permittat, ut ſ-
bi ſenſum, quem libuerit, imponat-
neutri contradicens, quamvìs a-
unoquoque huc & illuc pro libit-
verſetur. Dicéntne quòd ſua luc-
ac ſplendore ſeſe explicet, manif-
ſtetque Electis? At præter ratione-
imbecillitatem ac vanitatem huju-
Act. c. 8. imaginationis convincentes; nónn-
Eunuchus Reginæ Candacis fuit e-
beato illo Electorum numero? quo-
DEus in principio Religionis Chri-
ſtianæ vocavit ad fidem? *Ego u-
de me loquar interim*, ait S.
Hieronymus, epiſt. 103. in qua e-
gregiè oſtendit, difficultatem in in-
telligendis ſcripturis, *nec San-
ctior ſum hoc Eunucho, ne-
Studioſior, qui de Æthiopia-
id eſt, de extremis terræ fi-
nibu-*

ibus. Advenit Jeroſolymam ad adorandum in Templo ſuo Deum, deſeruit Aulæ delicias, in qua, magnâ pollebat authoritate ac poteſtate; ſed amore legis Divinæ; ità ut magnô deſideriô tactus, cognoſcendi res divinas, etiam in curru legeret libros ſacros; his toto ſe animo impendit: & tamen non intellexit, celebrem illum in Iſaia textum: *tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus &c.* ubi ſermo eſt de Paſſione Chriſti, quæ certô eſt, unus ex præcipuis Chriſtianæ fidei articulis. Opus erat Philippo, qui à DEO miſſus, ſenſum verum, veluti nucleum ſub cortice literæ latentem Ei exponeret, JEſum Chriſtum prædicando. Addit hìc S. Hieronymus: *ut intelligeres, te in ſcripturis ſanctis, ſinè prævio & monſtrante ſemitam, non poſſe ingredi.* Nemo eſt, niſi fallor, inter Proteſtantes Calviniſtas, qui non teneat Calvinum pro Electo DEI, & Duce fidelium. Hic

tamen

tamen homo adeò ſpiritualis & il-luminatus, ùt ipſi credunt, depre-henſus eſt, carere oculis ad viden-dum ſenſum verum ſcripturæ pro-priâ ſua luce ſe manifeſtantis, in textibus circa Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Deceptus eſt, ùt alius homo, & cum Arriano erravit. Di-cit enim, quòd antiqui Patres non intellexerint hunc textum: *Ego & Pater unum ſumus.* Joan. 10. ſed eo abuſi fuerint ad probandum, filium eſſe Conſubſtantialem Patri. *Hic enim ſermo non eſt*, in-quit ille, *de unitate ſubſtan-tiæ, ſed de concordia, quam habet cum Patre.* Quid jam fiet de Patribus, qui in Concilio Ni-cæno textum hunc unanimiter ad-ducebant contra Arrianos? Quid Miniſter Maiſtraizat damnans hanc Calvini propoſitionem, quam pro-bat eſſe falſam? Agnoſcere ſanè de-bent Proteſtantes, quôd ſenſus hu-jus textûs, utcunque clari, ſe ipſum virtute ac luce ſua propria, Solis inſtar, non manifeſtet Electis & fi-delibus; alioquin Electi & fideles

Calv. in Comment.

Lib. 4. de Eccleſ. c. 9.

iſti

iſti, mox eum absque differentia contuiti fuiſſent; & primus Electorum fidelium apud ipſos, Calvinus nunquam ſic errâſſet, ùt erravit.

At quomodo fieri poteſt, ut non fallantur Proteſtantes Calviniſtæ, tot in locis ſcripturarum, quas in ſenſu tam contrario explicant? Inter Calviniſtas numeratæ ſunt plures quam octoginta interpretationes diverſæ horum duntaxat verborum: *Hoc eſt Corpus meum.* ubi eſt claritas illa ſolis meridiani? quæ de ſola illico videtur: nónne ſi vel proferantur lingua intelligibili, mox clarè ſignificant: hoc non eſt corpus meum in ſubſtantia, ſed ſolùm in figura? Non ergo tam protervæ ſunt audaciæ Proteſtantes, ut hæc affirment; hoc enim pacto, fidem omnem apud Mortales amitterent. Fatentur proinde liberè, dari textus aliquos in ſcriptura, qui non ſtatim ſe ipſis innoteſcunt, & intelliguntur, ſed opus eſſe eorundem declaratione; hanc tamen non eſſe quærendam extra, ſed intrà ſcripturam, nempe unum textum obſcurum explicando per alium cla-

riorem; atque ità ſemper manere verum, quòd ſcriptura ſit unica regula, qua ipſam intelligamus, & ipſa hoc modo per ſe ipſam verum & proprium ſenſum ſuum nobis aperiat.

Ut veritatem fatear; hæc regula valde utilis eſt, ſic, quod unus author obſcurè docuit, explicatur facilè per alium locum, in quo apertè mentem ſuam exponere voluit. Sancti Patres multùm approbant hanc methodum, in quorum operibus plurimæ inveniuntur explanationes textuum difficilium per alios clariores, quibus veluti commentariis, utuntur. Hæc proinde regula eſt certa, quando cummuni conſenſione intelliguntur & accipiuntur in eodem ſenſu textus illi, qui ad aliorum textuum obſcuriorum declarationem adhibentur, ut nimirum unus per alterum explicetur; qua ratione optimè deciditur quæſtio. Sed ubi controverſia eſt, etiam de ſecundo illo textu, cui contrarii ac diverſi ſenſus imponuntur, ùt ſæpe accidit, non tollitur difficultas, ſed tota in ſuo manet robore; ſecundus textus

Auguſt. l. 2. de Doctr. Chriſtia. c. 25.

textus per ſe ipſum non magìs clarè ſe explicat, quàm primus: & ſi tertius proferatur, ut ſe tandem & priores per ſe ipſum explicet; in eâdem omnia conſiſtent perplexitate, ſicque etiam in infinitum procedetur, circumeundo ſemper & ad idem centrum hujus labirinthi redeundo.

Et dum Vos explicare vultis primum textum per ſecundum, quid dicetis, ſi quis è converſo faciat, interpretando ſecundum per primum, qui vobis quidem obſcurus eſt, aliis tamen clarus videtur: Quotidie hoc evenit in controverſiis. S. Paulus in pluribus locis aſſerit, quòd nullum remaneat peccatum in ablutis & ſanctificatis per Baptiſmum. Noſtri adverſarii dicunt, verba illa Apoſtoli eſſe aliter intelligenda, nempe, non ità ut nullum in eis relinquatur peccatum, ſed quòd per Baptiſmum non ampliùs eis imputetur peccatum re ipſa permanens. ità ſenſum hujus textus exponunt ex eo, quòd alibi dicat Apoſtolus, in ablutis habitare peccatum. Hæc admodùm clarè dici exiſtimant; &

concupiſcentiam, quæ in homine juſtificato permanet, eſſe peccatum; ex quo conſequenter coactam iſtam interpretationem tribuunt verbis prioris textûs, tanquam obſcuris, & aliqua declaratione indigentibus. Nos ex adverſo dicimus, quòd iſta ſint ſatìs clarà, & in ſuo nativo & plano ſenſu accipienda, per quæ textùs poſterior declarari debet, utpote obſcurus, vero ſenſu ejus latente ſub figura. Cùm enim peccata in ſanctificatis per gratiam ſint penitus abolita; Concupiſcentia in eis remanens peccatum appellatur, non propriè ac rigorosè, ſed ſolùm, quòd ex peccato proveniat, & in peccatum nos inclinet. Sic etiam Chriſtus ipſe peccatum appellatur, modô loquendi figuratô & metaphorico, quatenus pœnam ſubire voluit peccato debitam, victima factus pro eo abolendo. Nos itaque dicimus, illos perperam agere, dum hos textus ſatìs claros interpretantur & explicant per illum alium valde obſcurum; cùm facere deberent oppoſitum, illum per iſtos explicando & declarando.

Ad

Ad extremum, ſi Proteſtantes in hujusmodi controverſiis ad obtinendum verum ſenſum cujuspiam textûs, aliam viam non ineant; nunquam certè, ullum hæreticum condemnare poterunt; quos ipſi utì nos condemnare debemus, & ab iis omnino abhorrere. Textus enim clariſſimos & robuſtiſſimos, quibus myſteriorum veritates, quas pariter amplectimur & credimus, firmiter ſtabilimus & conſtanter probamus; illi in ſenſum prorſus alium trahent, per alia ſcripturæ verba, quæ ad ſuos textus explicandos, contra nos adhibeant; eôdem planè modô, quô Proteſtantes noſtri pro ſuo arbitrio interpretantur per alios textus, quos nobis opponunt. Horum exemplum oſtendere juvat in duobus myſteriis in Chriſtiana Religione graviſſimis, quæ tamen ab hæreticis impugnantur, quos nobiſcum etiam Domini Proteſtantes deteſtantur.

CAPUT VIII.

Proponitur, exemplum in abominanda Hæreſi Socinianorum, ejusque origo præmittitur.

POſtquàm ſub initium ſæculi decimi quinti, Lutherus ab Eccleſia ſecedere cœpiſſet, eo prætextu, quòd non illam, ſed ſolum & purum Verbum DEI, ſeu ſcripturam ſacram pro regula credendi admittere vellet; factum eſt, ut quisque liberam ſibi faciens poteſtatem interpretandi ad ſuum ſenſum ſcripturam; brevi tempore prodierit ſcaturigo innumerabilium ſectarum, quæ in campum hoſtium, diviſionem invexerunt, eosque contra ſe invicem armârunt. Novellus hic Magiſter, noviquè author Evangelii exterritus eſt, dum ſe undique circumdatum videret, totidem ferme exercitibus, quot diſcipulos, paulò meliores numerabat, qui contra eum inſurrexerunt. Caroloſtadius, Zwinglius, Oecolampadius & plurimi alii æquè robuſti, ut Duces ſuorum fierent, Magi-

Magiſtri ſui jugum excuſsêre. Calvinus Charior in Galliis quàm Lutherus, cujus veſtigia ſequebatur, brevì alios invenît idem facere paratos in ſui Magiſtri obſequium. Venerunt Genevam ex Germania, Helvetia, Italia, atque etiam ex Hiſpania, qui nondum plenè contenti cum deſiderata reformatione, propoſitum ſuum ulteriùs provehere volebant. Inter cæteros, magìs perniciosus erat Michaël ſervetus Catalaunus, qui poſt inchoatam everſionem Eccleſiæ, & negatam præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, facili negotio impegit in errores Sabellii & Pauli ſamoſateni, Photini & Macedonii, nolens in DEO agnoſcere nisì unicam Perſonam, horrendè blasphemans contra Sacro Sanctam Trinitatem: quod Calvinus jure tolerare noluit: quamvìs enim nonnulli eum arguant, quòd fidem de hoc myſterio labefactaverit; Vituperari tamen non poteſt, quòd illum vivum comburi Genevæ 1553. curaverit. Ad juſtam facti ſui de- 17. *Oct.* fenſionem, librum eodem tempore in lucem dedit, in quo oſtendit, à

Principibus & Magiſtratibus, *jure gladii coërcendos eſſe hæreticos.*

Sed cum illo non interiit deteſtanda illa hæreſis. Gregorius Pauli, Miniſter Cracovienſis, hoc venenô infectus, primus illud in Polonia effudit; eò etiam impudentiæ devênit, ut imaginem ediderit, in qua magnum viſebatur templum, cujus tectum deturbabat Lutherus, muros demoliebatur Calvinus, ipſe verò fundamenta evertebat, impugnando videlicet myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Alta etiam voce clamabat, non omnia Luthero eſſe à DEO revelata, plura DEUM fuiſſe locutum Zwinglio, plura Calvino, plurima ſibi, ſpem ſibi faciens de aliis venturis, qui & plura intellecturi & plura quàm ipſe facturi eſſent. Nec eum ſua fefellit opinio. Nam Georgius Blandrata Pedemontanus Inquiſitionem Ticinenſem fugiens, primùm in Poloniam ſe recepit, deinde in Tranſylvaniam, ubi medicus Principis factus, eidem infauſtum inſtillavit hæreſis Arrianæ vene-

Spondan. ad an. 1566.

Ad ann. 1551.

venenum, quô etiam Poloniam inquinavit, præcipuè dum illum ad ſe accivit in ſubſidium, Valentinus Gentilis, natione Calaber. Iſte, ut rogum pro ſe accenſum devitaret, Genevam pervénit, ubi pro Arriano agnitus in Collationibus cum Calvino habitis, cujus mandato in Carcerem eſt conjectus. Sed horrida exterritus imagine ſupplicii, ſerveto illati, cujus cineres adhuc calebant, ſuum abjuravit errorem, ac libertati reſtitutus eſt, promiſſione tamen facta, ſe non egreſſurum Genevâ, ſinè expreſſo conſenſu ſenatûs. Evaſit nihilominus, & peragratâ ſabaudiâ, Galliâ & Germaniâ peſſimus omnium hæreticus; reverſus eſt in Poloniam, ubi à Blandrata Protectore ſuo, à Franciſco David, à Paulo Alciato Mediolanenſi, à Lelio ſocino ſenenſi, & à Campano Julierio, adjutus, puram Arrianam prædicabat hæreſim; tres nimirum perſonas, tres in Trinitate eſſe diſtinctas ſubſtantias; ſolum Patrem, unicum & verum DEUM eſſe; Filium & Spiritum Sanctum tametſi æterni ſint atque Omnipotentes, minores tamen

eſſe Patre, qui illis dedit, non ſuam propriam, ſed aliam diſtinctam, ſubſtantiam & naturam, ſuâ propriâ inferiorem. Omnes iſtos homines impios, & novos Doctores, Edictô Regiô proſcripſit Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ. At Gentilis & ſocinus, dum revertentur in Italiam, iſte Baſileæ obiit; ille, ſuos diſſeminans errores, Bernæ Capite plexus eſt, & in ipſo ſupplicii loco, ſumma cum impietate gloriabatur, ſibi honorem obvenire præ cæteris Apoſtolis & Martyribus; quòd iſti ſanguinem & vitam fuderint pro gloria ſolius Filii; ipſe verò primus omnium obiret mortem pro gloria Patris.

Interim Polonia, ab hac peſte, liberata, non meliori ſtatu ſe poſitam videbat. Nam fauſtus ſocinus, prioris nepos, doctrinis auunculi eruditus, quemadmodum abyſſus abyſſum invocat, & novos errores addere antiquis facile eſt; hæreſim cæteris deteſtabiliorem in animo concepit: quia verò Patria eum perſequebatur ùt Apoſtatam & hæreticum, tandem in Poloniam confugit, ubi animos jam diſpoſitos ad reci-

recipienda ſua dogmata, ſe inventurum ſperabat: & re ipſa invenit Protectores præcipuè inter Nobiles, qui apertô Ei campô, impunè dogmata ſua propagandi, ſectam ejus fovebant. Homo iſte malignus ità ſe munitum videns, dicebat, quòd Lutherus & Calvinus ſtrenuè quidem laboraverint in diruendo Templo Romano, in evertendis Idolis, & erroribus deſtruendis, ſe tamen non videre, quòd manus admoverint ad ſuſcitandam ſuper has ruinas novam fabricam, & ad reſtituendum DEO verum cultum & honorem: quod ſe facturum pollicebatur: quem in finem aſſerebat, utì ſervetus, unam duntaxat in DEO eſſe perſonam; & hanc perſonam, ùt Gentilis, eſſe Patrem ſolum, unicum & verum DEUM. Addebat, gratas Magiſtro ſuo & Arrianis, enormes blaſphemias, ùt, Filium DEI non tota exſtitiſſe æternitate, nec ante omnia tempora; eum fuiſſe purum hominem; initium exiſtendi fuiſſe illi conceptionem in utero materno; natum è virgine, Divina virtute, quæ Spiritus Sanctus appellatur,

quem etiam à Divina excludit ſubſtantia. Item, quòd homo iſte, Chriſtus JESUS Redemptor noſter, Filius DEI appelletur ſolùm propter excellentiam ſuæ dignitatis & miniſterii à DEO Patre accepti, conferente illi plenam in cælo & in terra poteſtatem, eumque conſtituentis Mediatorem & ſummum Pontificem, qui nos cum DEO reconciliet; & conſequenter, quòd ea, quæ de æterna Verbi generatione, de Incarnatione & naturæ humanæ aſſumptione, cum Perſona Divina unione, dicuntur, meræ ſint fabulæ. En abominandam hujus monſtri hæreſim; quæ Divinitatem Chriſto, & unionem duarum naturarum in una perſona, tollit; in quibus tota ſubſtantia & fundamentum Religionis Chriſtianæ conſiſtit.

Calvinus utique, ſi in manus ejus deveniſſet, in flammas illum, uti ſervetum conjici curâſſet; nec arbitror, diſpliciturum Dominis Proteſtantibus, ſi dico, quòd ipſi æquè ac nos ab hujusmodi abhorreant monſtris. Nunc igitur illos rogo, ut conſiderent, an tolerare poſſint, ſi di-

ſi dicatur & probetur, quòd ſecundùm Ipſorum principia, nemo rationabiliter contra ſervetum aut Gentilem in judicio agere poſſit, vel eum condemnare. Hoc eſt, quod jam demonſtratum eo, viâ eàdem poſtea everſurus ſocinianos.

CAPUT IX.

Comparantur in reſponſis Sociniani cum Proteſtantibus.

NOs confitemur præſentiam realem Domini noſtri JESU Chriſti in Sacro Sancta Euchariſtia, & id, quod in ea nobis datur, eſſe verè ac realiter Corpus & ſanguinem ejus: quæ Domini Proteſtantes nullatenus credere volunt; rejiciunt hunc articulum: interroga eos; cur ità? reſpondent: quia iſta non inveniuntur in ſcriptura, quæ tanquam regula fidei obſervanda & ſequenda eſt. Proferuntur iis verba trium Evangeliſtarum, affirmantium, quòd Chriſtus Dominus noſter, Sacramentum hoc inſtituens, porrigensque diſcipulis

dixerit: *accipite & comedite: hoc eſt Corpus meum.* Adde illis S. Paulum 1. Cor. 11. ubi poſitivè, idem iiſdemque verbis aſſeverat; & quòd manducans indignè, reus erit Corporis & ſanguinis Domini, non dijudicans Corpus Domini. Profectò, verba iſta, prout in ſua literali & nativa Significatione noſtro intellectui proponuntur, exprimunt & ſignificant clariſſimè, quòd id, quod nobis in Euchariſtia exhibetur, ſit verum Corpus Chriſti. Dicunt nihilominus Proteſtantes, ea in ſenſu alio eſſe intelligenda, & accipienda, non ſecundùm litteram, quæ dicere videtur, id, quod in re ipſa non eſt; ſed ſecundùm ſpiritum, qui nobis manifeſtat aliud, quando in ſenſu figurato accipiuntur.

Si porro percontteris eos, cùr ad figuram & ad metaphoricam locutionem hìc recurrendum ſit? dicent duo: primum, quia ſcriptura de hoc in aliis locis planè contrarium docet, ubi dicitur, quòd è mundo abeat, mundum relinquat, deſerat nos, redeat ad Patrem, inde venturus

rus & reverſurus ad judicandum vivos & mortuos, & alibi; quòd hoc Sacramentum appelletur Panis, ſignum & memoriale Paſſionis Chriſti. Alterum dicunt: quòd ſenſus literalis, qui ſtatim primo intuitu apparere videtur, ſit è diametro contrarius ſenſui & exiſtimationi communi, lumini naturali, & rationi; quæ nobis à DEO data ſunt, ut eorum ductu & adminiculô rectè ſaneque de rebus judicemus. Alioquin enim idem corpus, eôdem tempore pluribus in locis exiſtere deberet, in Cœlo & in terra; en quidem ſinè partium extenſione & ad modum ſubſtantiæ Spiritualis; imò accidentia exiſterent absque ſubjecto ſuſtentante, & ſexcenta alia ſimilia, bono intellectui illudentia.

Ex his concludent: quòd verba hæc: *Hoc eſt Corpus meum*, per alios textus explicanda ſint, qui realem Corporis Chriſti abſentiam indicant; conſequenter priora illa intelligenda eſſe in ſignificatione figurata, & metaphorica, quæ docet, quòd id, quod in Sacramento exhibetur, ſit panis, qui eſt figura Corporis Chriſti. Idque confeſtim confirmant per alia Evangelii teſtimonia, in quibus verbum ſub-

ſubſtantium eſt, intelligitur metaphoricè; ùt quando Chriſtus dicit, ſe eſſe vineam, Vitem, Viam, & portam &c.

Retuli fideliter, ùt puto, quæ Domini Proteſtantes dicunt, ut ad ſuum modum & placitum ſcripturam explicent per ſcripturam. Hac ratione adeò perſuaſi ſunt in doctrina ſua, & de fidei ſuæ veritate, ut non ſolùm exiſtiment, nos non poſſe ità ùt illi procedere; verùm etiam aſſerant, nos, homines eſſe, à falſis præoccupatos opinionibus, quæ in abominabilem ducunt idololatriam, non absque ipſorum erga nos compaſſione. His præmiſſis, ſolùm ab eis, cum bona eorum gratia, poſtulo, ut animô pacatô & non præoccupatô rationem & modum agendi ſocinianorum contra ipſos & contra nos, animadvertant, viſuri manifeſtè, quàm perfectè congruant ſibi in modo procedendi, ſocinianorum quidem contra nos & ipſos Proteſtantes, atque Proteſtantium contra nos; & illi ſociniani, eôdem jure iisdem potiantur victoriis cum Proteſtantibus: quod jam evidenter òſtendo, exacta comparatione, veluti in deſumpto exemplari, quod ſimillimum eſt ſuo prototypo.

In confeſſo eſt, æque nobis ac Proteſtantibus, CHRISTUM JESUM, eſſe Verbum æternum & verum DEI Filium Patri ſuo conſubſtantialem. quòd hoc Verbum factum ſit homo, naturam humanam cum Divina, in ſua perſona uniendo. Sociniani negant hos duos articulos. Interrogati cur ita? reſpondent ſicut eorum Magiſter: quòd ſi Chriſtus eſſet verus DEUS, & conſequenter hic verus DEUS factus homo fuiſſet, quæ res intellectui noſtro imperceptibilis cùm ſit, ſcriptura ſacra eam certè alicubi clarè nobis proponeret, prout in alijs fecit, creditu facilioribus; ut de Creatione Cœli & terræ de reſurrectione mortuorum, de vita eterna, &c, cùm tamen nuſquam reperiatur in ſcriptura, vel unicus locus, in quo mirabile hoc myſterium exprimatur: illud proinde ex perperam intellectis quibusdam textibus deduci ajunt, per vanas & infirmas illationes.

Ut convincantur mendacii homines iſti, producuntur illis plurimæ ſcripturæ, ubi Chriſtus apertè vocatur *verus DEUS, Magnus DEUS;*

DEUS

joan. 1. *DEUS rerum omnium; Prin-*
2. Tit. 13. *cipium & finis; Dominus Deu*
Rom. 9. *qui eſt, & qui fuit: ille qu*
Apocal. 1. *eſt per naturam æqualis Deo*
Phil. 2. *qui eſt unum cum* Patre; &
Joan. 10. ſuper omnia initium Sancti Evangel
ſecundùm Joannem. *In princi-
pio erat Verbum, & Verbum
erat apud DEUM, & DEU
erat Verbum. Omnia per ip-
ſum facta ſunt* &c. quibus omni-
bus addit: *Et Verbum-Caro fa-
ctum eſt.*

Profectò Verba iſta in ſenſu lite-
rali, & ſimpliciter accepta ſinè omni
metaphora, valde clara ſunt ad ſigni-
ficendum, quòd Filius DEI verè (
DEUS & homo factus. Sociniani ta-
men affirmant, verba illa eſſe acci-
pienda in ſenſu alio, cùm ſint locu-
tiones figuratæ, penitus alia ſignifi-
cantes.

Si petatur ab eis ratio, propte
quem ſibi recurrendum putent, a
metaphoram, & ad ſenſum aliu
tribuendum verbis illis, duo reſpon-
dent; Primò, quòd ſcriptura totu

con

contrarium doceat in tot aliis locis, *Joann. 14.*
ut quòd filius minor Patre; Eique *1 Cor. 15*
ſubditus; ab illo accipiat omnia, ex *Luc. 10.*
eo factus ſit, neſciat diem Judicii; *Hebr. 3.*
nullum præter Patrem, ſcire illum: *Matth.*
Patrem ſolum eſſe Verum DEUM, & *24.*
plura ſimilia; quæ revera non minùs *Joan. 17.*
clara eſſe illis apparebant contra Divinitatem Chriſti, quàm illa Proteſtantium contra præſentiam realem Corporis Chriſti. Secundò ajunt: quòd doctrina de Divinitate Verbi, & de Incarnatione impugnet, ac evertat evidentia & lumine naturæ nota principia, rectamque rationem, quam nobis DEUS dedit, ut rectè de rebus judicemus; cùm in his pugnantia includantur contradictoria, adſtruendo pluralitatem in unitate, tres perſonas diſtinctas cum ſola & unica natura ſingulari; item affirmando naturas duas in una ſola Perſona; è quibus millenæ aliæ proveniant difficultates, & contradictiones apparentes, quas nobis objiciunt; & quæ, ùt omnibus notum eſt, ſaltèm tantæ ſunt, quantæ illæ, quibus Proteſtantes uti ſolent contra præſentiam realem Corporis Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

Ex his duobus deducunt, quòd textus ſcripturæ à nobis allegati ad probandam Divinitatem Chriſti, & unionem duplicis naturæ, debeant explicari per alios, qui oſtendunt eum eſſe purum hominem, docent-que, priores textus metaphoricè intelligendos eſſe, prout ipſo facto explicant, dicendo, Chriſtum appellari DEUM propter excellentiam miniſterii amplitudinem poteſtatis, magnitudinem beneficiorum quibus nos cumulavit. Eamdem explicationem confirmant illico exemplis è ſcriptura deſumptis. Sic ſocinus explicat initium Evangelii S. Joannis: *In principio erat Verbum* &c. id eſt, ùt inquit ille, in principio novi teſtamenti, aut mundi ſpiritalis & myſtici, natus eſt Chriſtus, prout in Geneſi dicitur, quòd in principio mundi naturalis, DEUS creaverit Cœlum & terram. Quòd autem Chriſtus hìc appelletur Verbum; id non eſſe intelligendum in ſenſu proprio, quaſi verè verbum eſſet internum, ſeu cognitio & ſapientia DEI Patris, veluti genitus ex Patre viâ intel-

intellectuali ; ſed in ſenſu metaphorico : quòd ſicut per verbum hominis cognoſcitur ejus voluntas , ità nos DEI voluntatem per CHRISTUM cognoſcimus : ſicut etiam S. Joannes Baptiſta vocatur Vox , quia Chriſtum annunciavit, qui vocatur Verbum. Et quia Chriſtus eſt author veri Verbi vitæ, ideo appellatur vita, quatenus vitæ author eſt. Hæc verba : *Et Verbum erat apud DEUM , & DEUS erat Verbum* , aliud nihil ſignificant , ait Socinus , quàm quòd Chriſtus in principio fuerit latens & occultus, ſoli DEO notus, per ſimilitudinem cum Divinitate, ſuæ ſupereminentis dignitatis ; unde homines in ſcripturis non rarò Dii appellantur ; quo pacto Moyſes conſtitutus fuerat DEUS Pharaonis. Dicit præterea , quòd res omnes , & cuncta hujus novi mundi ſpiritualis mirabilia , cujus caput Chriſtum Deus eſſe voluit, per ipſum facta ſint, & nihil ſinè illo factum ſit. Demum concludit : *Et Verbum Caro factum eſt* : in græco, inquit, eſt EYEVETO , quod etiam in ſcriptu-

ſcripturis accipitur pro *fuit*; hoc igi-
tur idem eſt, ac dicere, quòd ho-
Verbum, nempe Chriſtus, de qu-
tam multa & tam magna dicuntur
non fuerit plus quàm homo infir-
mus, & miſeriis hujus vitæ, ùt cæ-
teri homines, obnoxius & ſubje-
ctus.

Videte hìc amabò, quonam pacto
ſcelectus iſte homo explicet ſcriptu-
ram. Deſuper quæſo, ut patienter,
ſanguine frigido, Proteſtantes au-
diant, quæ mox dicturus ſum: omnia
ſcripturarum teſtimonia, quæ Vos,
utì & nos, opponimus ſocinianis pro
Divinitate Chriſti aſſerenda, illi per
alios textus, quos planè evidentes
putant, pro ſe interpretantur; eô
prorſus modô, quô Vos explicatis
teſtimonia illa, quæ adverſum Vos
pro reali præſentia Chriſti in Sacra-
mento Euchariſtiæ, per alios textus,
quos in veſtrum favorem trahitis, ve-
lut clariſſimos afferrimus. Cum-
que id vobis perſuadeatis, non cre-
ditis poſſe vos ab ullo damnari aut
reprehendi; quia nimirum ſcripturam
explicatis per ſcripturam; quæ ùt di-
ctis, veſtra regula & judex eſt. Si
ità

ità ſe res habet; non alio nobis opus eſt judice, de vero ſcripturæ ſenſu, imo ut quiſpiam ſit Orthodoxus, nihil opus eſt aliud agere. Sed qua ratione vos & nos condemnare poterimus ſocinianos; cùm ipſi ſcripturam, interpretentur per ſcripturam, quam etiam, uti Vos, agnoſcunt pro judice atque regula veri ſcripturæ ſenſûs? Dicetis, quod illi malè explicent, detorquendo textus priores, per poſteriores; nos autem rectè interpretamur, & prout oportet hos poſteriores per alios. At hoc ipſum eſt in quæſtione, dum inter nos & Vos controvertitur de textibus circa Euchariſtiam, ubi item contra nos agitis, quod ſociniani contra Vos & nos agunt, prout evidenter & irrefragabiliter oſtendi. Extricate vos, Domini, ex hoc labyrintho, ſi poteſtis, & pro Viris præclaris vos agnoſcam.

Sed ecce, in alium adhuc laqueum incitidis, qui vobis non minùs eſt moleſtus quàm prior. Omnes textus, quos ſociniani opponunt nobis contra Divinitatem Chriſti, nos & Vos, explicamus illos, & ſic Divinitatem

tarem Chriſti probamus, cogimurque tandem ab illis ad eorum textus declarandos procedere, per quasdam diſtinctiones, quarum adminiculô nos facilè extricamus ab omni difficultate; eâ planè viâ & ratione, qua textus illos, quos contra nos allegatis in materia Euchariſtiæ interpretamur per noſtros textus, & ſic facile veſtros explicamus diſtinctione adhibita de præſentia viſibili & inviſibili de modo proprio colorum & ſpecierum. Adhuc tamen conſtanter aſſeritis, quòd damnari non poſitis, & non obſtantibus noſtris diſtinctionibus, ſcripturam pro vobis habeatis in ſenſu legitimo intellectam. Quô ergo jure prohibere poteſtis ſocinianos, nè dicant, ſe damnari non poſſe, & penes ipſos eſſe ſcripturam in legitimo ſenſu intellèctam, non obſtante diſtinctione celebri, de perſona eadem conſiderata *ſecundùm Divinitatem, & ſecundùm humanitatem*, quam nos & Vos cotra illos adhibemus?

Domini mei, quid quid dicatis, comparatio iſta Veſtræ reſponſionis cum

rùm reſponſione ſocinianorum planè omni ex parte congruit, ità ut nè minima quidem differentia exponi poſſit: atque ità inpoſſibile vobis eſt impugnare illos, quin una illis arma porrigatis invincibilia, quibus non ſolùm ſe tueantur, contra Vos; ſed etiam Vos aggrediantur, impetant, & prevaleant, quàm diu Veſtris inhæſeritis principijs, nullamque aliam regulam pro intelligenda rite ſcriptura admiſeritis, à ſcriptura ſacra diſtinctam. Quia ergo venenum hæreſis iſtius aperui, à qua Proteſtantes expedire ſe non valent, reſponſis ſuis, ideo me teneri exiſtimo ad ferendum antitodum, quô Socinianorum, æquè ac Proteſtantium everſam fundamentum.

CAPUT. X.

Principio irrefragabili impugnantur Sociniani.

S. Auguſtinus ſæpiùs dicebat, quod hæretici legant ſcripturas ſacras, & nullus ſit, qui eas non alleget.

De Gen. ad lit. l. 7. c. 9. & Tract. 18. in Joann. *Neque enim*, inquit, *non omnes hæretici ſcripturas ſacras Catholicas legunt; nec ob aliud hæretici ſunt, niſi quòd eas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt.* Domini Proteſtantes æternùm clamant, ſe non velle niſi ſcripturam puram, Sociniani altiùs adhuc vociferantur, ſe veniſſe ad inſtaurandam Religionem, ſuæque puritati & ſinceritati reſtituendam, per Verbum DEI in ſaris contentum ſcripturis verè ac limpidé intellectum. Ad hos confutandos, eorúmque progreſſus ſiſtendos, illis opponere ſufficit hoc ipſum principium, oſtendendo, quod eô careant; adeoque etiam fundamentô ſuô firmiſſimô, in quo ſolidè ſtabiliri debet veritas Religionis, deſtituantur.

Ad hoc enim neceſſariò requiritur certitudo infallibilis, de principio iſto Fidei noſtræ, quod eſt Verbum DEI, ut inter nos & Proteſtantes conventum eſt, ut pro indubitato utrin-

utrinque habetur. Jam peto ex Socinianis, prout cum Proteſtantibus fecimus, an ità certi ſint, quòd ſcriptura iſta, quam legunt & allegant, à Deo proveniat, contineátque *DEI* Verbum. Et Verbum Ejus purum, ſimplex absque omni ſubſtantiali mutatione & corruptela ſit immunis? Vident profectò, ſe ità certos eſſe hac de re non poſſe per ſolam hanc ipſam, quam allegant, ſcripturam; cùm de quæſtione iſta, nihil ipſa contineat, neque ſe ipſam explicet, neque per ſe ipſam innoteſcat, prout argumentis convincentibus ſupra demonſtratum manet; Nec certitudinem iſtam habent, à Traditione, aut ab Eccleſia; cùm neutram penſi habeant, & utramque reputient. Multò minùs certitudinem iſtam habent ab interiori ſancti ſpiritûs inſpiratione & ſvaſione: parum enim curant cum Anabaptiſtis & Tremulantibus, revelationes. Néque hiſce temporibus recurrere volunt ad ſpiritum iſtum privatum Proteſtantes, prout faciebant, dùm adhuc vagirent infantiam non egreſſi, & antequam ſucceſſu temporis

oqui tollerabiliter didiceſſent, & ſal
èm vero ſimilitudinem aliquan
uorum dictorum ſalvarent. Soci
niani profitentur ſe naturæ atqu
rationis lumen ſequi ; in quo totu
eorum ſpiritus privatus & internu
conſiſtit. Sed eheu! hoc naturæ &
rationis lumen falli poteſt, præter
quam quòd locum non habeat i
quæſtione facti, neque in particular
ſe ſolo diſcernere poſſit, an hæc ſcri
ptura, ſeu liber iſte ſingularis reve
lationem DEI contineat, annon
Cum igitur nihil inveniant, qu
infallibiliter ac certò ſcire poſſint
quòd liber, quem tenent manibus, &
oculis legunt, ſit ſcriptus dictante a
dirigente ſpiritu ſancto, & continea
verum DEI Verbum, non adulteri
num, ſed purum, atque incorrup
tum, eorum denique fidem; hoc ipſo
fides iſta fundatur in principio dubio
incerto, infallibili, adeoque nequi
eſſe fides Divina; conſequente
omni vera religione ipſi deſtituun-
tur.

Imò tametſi certi eſſent, quòd
ſcriptura ſacra quam proferunt, à
DEO proveniat; nonne adhuc eis
objici

objici poteſt, ut nos Proteſtantibus objicimus, quòd nullum habeant medium, quô certi ſécuríque fiant, quænam, ex duabus interpretationibus contrariis, de quibus controvertitur, haberi debeat pro vera & legitima? Volunt illi interpretari primum textum per ſecundum, ut quod volunt, probent. Sed alij volunt, ſecundum explicari debere per primum, ut ſe tueantur; ad permanendum in avita majorum ſuorum poſſeſſione, qui ſic textus illòs intellexerunt. Quis litem hanc dirimet? qua inviti conjicimur in tantam fluctuationem, niſi media certa& infallibilia teneamus ad deprehendendam lucem veritatis. Dicunt illi, quod ratio manifeſtè oſtendat, textus iſtos, intelligi debere ſic, ſicut ipſi eos explicant; alioqui admittenda fore in DEO contradictoria. Et etiámne adhuc nobis objectare non formidabunt, difficultates, quas unquam Judæi, Pagani, & Philoſophi Gentiles acerimi religionis Chriſtianæ hoſtes, opponebant, ut fidei noſtræ convellerent myſteria, quæ tantò excedunt in-

tellectûs humani imbecillitatem, quantò incomprehenſibilis natura Divina ſuperat hominem. Sed enim nemo eſt, qui ignoret à ſanctiſſimis Patribus atque Theologis, omnia iſtiusmodi Philoſophorum argumenta diſſolvi; imò ex ipſis bonæ Philoſophiæ regulis optimè ſalvari myſteria noſtra ab omnibus contradictionibus, quas infirmitas imaginationis noſtræ, concipere ſibi videtur in myſterijs noſtris. Nemo ergo adhuc ſecurus eſt, quòd hæ rationes aliquid evincant, ùt quibus facillimè in forma diſputandi reſpondetur, cum ſolutione adæquata.

Tum, etiamſi reſponſa Patrum & Theologorum non eſſent tam firma & ſolida, ùt revera ſunt; & Sociniani crederent nihilominus argumenta ſua eſſe convincentia; quid amabò indè concluderent? niſi quòd eorum fides, non alio, nitatur fundamento, quàm rationis humanæ; cum per hanc ſolam putent ſe certos ac ſecuros eſſe de vero ſenſu, quem ſcripturæ textibus pro ſua parte allegatis attribuunt. Quid jam fiet

iet de kujusmodi fide ipſorum? poterit ne dici, fides Divina? ſupernaturalis? cujus fundamentum unicum eſt humanum & naturale. Dicine poterit fides infallibilis atque firmiſſima, cujus baſis unica, ratio humana, falli poteſt? præſertim circa res non omnino claras & evidentes, ità ut ſemper maneat locus controverſiæ, prout in caſu noſtro accidit, imò ubi ratio ipſa, per alia argumenta manifeſta convincitur falſitatis? Fides igitur Socinianorum nunquam eſt fides Divina & ſupernaturalis: ex quo infertur, illos neque Paganos eſſe, neque Chriſtianos, ſed malos duntaxat Philoſophos, qui absque lumine ac certitudine ſupernaturali ratiocinantes tandem ſe reperiunt, & religione, & ratione ipſa deſtitutos eſſe.

Et ut re ipſa oſtendamus, quòd eorum procedendi modus rectiſſimâ viâ tendat ad evertendas omnes religiones inter Chriſtianos, ſi propter quam libet difficultatem rationi humanæ ſibi ſoli relictæ occurrentem fidendum eſt; liceat mihi imitari Socinianos: nulla ſanè invenietur

veritas, cui non facilè contradixĕro; ſatìs mihi erit aliter interpretari textus ſcripuræ, & alios invenire, quibus meam fulciam interpretationem; quod certè difficile non eſt. Verba ſcripturæ patiuntur ſæpe diverſas expoſitiones: ſola mutatio unici accentûs, aut puncti unicus, diverſum penitus dabit ſenſum. Non hic magis opus eſt ingenijs; unam ſufficiet in ſubſidium advocacare figuram vel metaphoram, ad probandum rem verè exiſtentem; non niſi apperenter exiſtere. Satìs eſt aliquas non ignorare phraſiculas Grammaticales, ad invehendum idioma penitus diverſum, efficianturque ſignificationes omnino diverſæ, quam aliàs in recto & legitimo ſenſu fuiſſent. Sociniani dicunt, quòd Chriſtus Dominus mortuus fuerit, ut nobis remiſſionem obtiſeret peccatorum: cur non dici poſſet cum Apelle, quòd non niſi in figura & metaphoricè mortuus fuerit, licet omnes Evangeliſtæ circumſtantias Paſſionis ejus deſcripſerint? cùm Socinus dicat, illum fuiſſe appellatum DEUM per figuram; quantum vìs poſitivè ſcriptum

...tum ſit in ſacris paginis, eum eſſe Verum DEUM; Eique hoc ineffabile nomen tribuatur, eo modo, quo hæretici agnoſcunt illud convenire Magno DEO, quem adorant, videlicet nomen Jehova & Adonai. Erit... e vel unicus textus in ſcriptura, e...m ex illis, qui veritatem omni ...x parte manifeſtam exprimunt, quem non poſſim flectere eodem li...ntu & libertate, quâ Sociniani ...tuntur flectendo & detorquendo ad ſenſum ſuum, verba illa: *amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum:* quæ, per illos, ſignificant, ego ſum antequam eſſent Chriſtiani, qui ſunt verè fideles & credentes; adeoque priusquam re ipſa Abraham factus fuiſſet Pater Credentium. Nihil ergo facilius, quam hujusmodi ſubtilitatibus ſuſdeque invertere totam ſcripturam, & ex ea luſum facere intellectui humano. *Iſa. 6. & 40. apud Evangeliſt. Joann. 12. Matth. 8. Marc. 1. Luc. 3. Joann. 8.*

Conſide etur primus duntaxat ſcripturæ textus: *In principio creavit DEUS Cœlum & terram.* Socinus dicit, quòd textus pro Divinitate *Diſp. de CHRISTI nat.*

D 5

vinitate Chriſti allati, ſi verè DEUS eſſet, deberent, id tam clarè tamque apertè aſſerere, ſicut iſte, clare & apertè mundi creationem exprimit. Videamus, an iſta claritas impediat, quò minus in eo, alius inveniri poſſit ſenſus, adhibita eâ libertate, quam ſibi Socinus aſſumit. Tu ais, quòd DEUS juxta primum fidei noſtræ articulum ſit Creator Cœli & terræ, quòd omnia è nihilo produxerit, ſi jam dicere mihi placeat, cum nonnullis antiquis Philoſophis, quòd omnia fecerit ex materia quadam ab æterno præexiſtente; cum non valeam concipere, quòd ex nihilo fieri quidpiam poſſit? ſi ulterius procedam; & dicam, cum alijs antiquis Hæreticis, quòd non à DEO, ſed ab Angelis creatus ſit mundus; quomodo mihi contrarium oſtendes ex tuo illo ſcripturæ textu? Terminus enim ſeu vox creationis, ſive Hebraicè, ſive Græcè, ſive latinè, ſignificat apud hos, rem aliquam fieri ex præexiſtente
Gen. 1, 27. materia; ſicut dum dicitur, *creavit igitur DEUS hominem ad*

ad imaginem ſuam &c. nonne ex limo terræ formavit illum? Crellius Socinianus, quamvìs audaciſſimus in ſua ſecta, adeò in præſenti negotio perturbatur, ut apertè non audeat edicere, an mundus fuerit creatus ex nihilo, an non? rem indeciſam relinquendo; imò etiam alijs liberum permittit, credere de hoc, quod unicuique libuerit: quam in partem inclinat etiam Volkelius; ità ut homines iſti ſcrupuloſi metuentes lædere unitatem DEI, negent filio & ſpiritui ſancto Deitatem; ſinè difficultate permittunt, ut credatur, mundum à Deo factum eſſe ex materia, non creata ſed æterna; quæ proinde neceſſario fuerit à ſe ipſa, & conſequenter alter DEUS. Nonne ſatis rationabilis eſt ſcrupulus iſte?

De Ver. Relig. L.1. C.3.

Nunc veniamus ad vocem Hebraicam, Elohim, quam interpretes omnes ſynonimam faciunt cum voce DEUS, in hoc textu: *in principio creavit DEUS*: &c. quia verò eadem vox poteſt accipi pro Angelis, qui per illam non raro ſignificantur? quid vetabit vocem illam de Ange-

lis interpretari ? ſi mihi jam conceſſum eſt, imitari Socinianos, & librè pro arbitratu & genio ſcripturas exponere ? ex quo ſequitur, quòd ſcriptura ſacra hac procedendi methodo, futura ſit poſthac omnino inutilis ad probandum qualecunque dogma.

Priusquàm autem ad ipſam deveniamus regulam, quam ſequi oportet, & ad oraculum neceſſariò conſulendum, pro inveniendo vero ſcripturæ ſenſu; obſervo, quod facillimum ſit imbecillitatem Socini apertè oſtendere, Eique juſtam comparare indignationem, & contemptum ab orbe univerſo ob perverſam explicationem ab eo factam, Evangelij S. Joannis. Accipiamus ex una parte omnes illos Patres, qui poſt magnum Concilium Nicænum floruêre; è quibus nec unicus eſt, prout ipſi Sociniani fateri coguntur, qui illud non intelligat de Divinitate Chriſti. Ab his aſcendamus uſque ad Apoſtolos, & rurſus neminem inveniemus, qui poſt extinctos Ebionem & Cerinthum aliter ſenſerit, & Evangelium illud intellexerit. S. Iræneus, Juſtinus

ſtinus & diſcipuli ejus Tatianus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, S. Gregorius Thaumaturgus & omnes Patres duorum Conciliorum Antiochiæ celebratorum contra Paulum Sancoſatenum, Patrem Socinianorum: omnes iſti ijsdem verbis S. Joannis uſi ſunt, ad probandam Divinitatem Verbi, ejusque Incarnationem. Ipſe S. Irenæus, qui cæteris antiquior eſt, aſſerit, quòd S. Joannes, ultimus Evangelium ſuum ſcripſerit, ad confirmandam contra impium Cerinthum, Divinitatem Christi. Collocemus jam ex parte altera Fauſtum Socinum, cum diſcipulis ſuis, Crellio, Volkelio, & Jona Schlichtingio, qui dicunt hanc Patrum explicationem eſſe falſam, & doctrinam chimæricam, qua omnes illi homines miſerabiliter abuſi ſunt, ad obſcurandam ſophismatis ſuis veritatem aliunde manifeſtam, impudenter exiſtimantes, quòd ipſi ſoli & pauci poſt tot ſecula invenerint illius Evangelij verum ſenſum, usq; ad ipſorum tempora ignoratum Poteſtne quispiam nondum ratione deſtitutus, vel momentô hæſitare, utri harum duarum

partium adhærere oporteat? vel dubitet, an reſpuendi ſint iſti novelli advenæ, tanquam indigni, qui vel audiantur? Tametſi enim eorum interpretatio aliquo tincta videri poſſet colore, velut ingenioſè excogitata, prout fieri ſolet, in mendacijs & fabulis vero ſimilibus; ego ipſo tamen, utpote ab illis adinventa & excogitata venire in comparationem non meretur, cum illa explicatione, ſenſu & interpretatione, quæ mox ab initio viguit in Eccleſia, ab Apoſtolis velut per canalem Traditionis, usque ad nos deſcendens. Et hæc de armis, quibus impugnamur à Socinianis; qualibus Proteſtantes nihil contra nos efficerent, quia eadem in ipſos convertere & retorquere poſſumus; cum ipſorum pugnandi ratio, planè ſit ſimilis, ùt oſtendi: & néque hi, néque illi recurerre poſſunt ad Traditionem, quod jam probatum eo.

CAP.

CAPUT XI.

Proteſtantes non poſſunt habere Traditionem pro regula infallibili ad diſcernendum verum DEI Verbum.

MOx in limine dicendum & fatendum eſt, id, quod Traditionem appellamus, eſſe in Chriſtianitate, quæ minimè ab adverſariis intelligitur, & qua ſæpiſſimè abutuntur, quando agitur de aliqua difficultate explicanda, ſive circa doctrinam, ſive circa diſciplinam Eccleſiæ. Ab ipſo exordio Traditionis fuêre homines, qui ſeu malitiâ, ſeu ſimplicitate fabulas referebant, & authoritate Traditionum donabant. Libri illi Apocryphi mundum percurrentes ac poſtea rejecti, innumeris repleti erant ſomniis & ridiculis revelationibus; quæ omnia illi chimærici authores nomine Traditionum inſignire volebant; erroresque tuebantur, qui poſtea damnati fuêre, ut Millenarii, Quatuordecumani Paſcha celebrari volentes decima-

Euſeb. lib. 3. C. ult.

cimaquartâ lunæ; & veteres Anabaptiſtæ baptiſmum, vel ab hæreticis, vel infantibus collatum rejiciebant, nónne hos errores Traditionibus tuebantur? Conſtat etiam, non raró accidiſſe, quòd conſuetudines aut periculoſæ, aut ſuſpectæ, hiſtoriæ quoque admodùm incertæ ac dubiæ, fuerint cum veneratione acceptæ, nec ſinè uſurpato, Sancto ac venerando Traditionum titulo. Imò inveniuntur aliquando ſcriptores, qui omnia quæcunque in Sanctis Patribus, ſive in Conciliis, ſive in Hiſtoria Eccleſiaſtica invenerunt, circa uſus & conſuetudines Eccleſiæ, appellabant Traditionem.

Profectò major eſt hæc liberalitas, quàm ut tam leviter prodigantur; & rebus omnibus promiſcuè attribuatur, quæ in antiquitate reperiuntur, & concepto animi propoſito favere poſſunt. Error, abuſus aliquis, aut etiam circa diſciplinam Eccleſiaſticam diſpoſitio, ſecundi, tertii, vel etiam quarti ſæculi, antiquitate quidem pollent; non tamen ideo dici poteſt, quòd ad Traditionem pertineant. Videndum igitur

tur eſt, *unde iſta Traditio?* ùt dicebat S. Cyprianus; reverti oportet, & usque ad fontem, & ſcaturiginem aſcendere, ut verus ejus character diſcernatur.

Hìc itaque dicendum eſt, quid ſit illa Traditio Apoſtolica? Hæc autem nihil aliud eſt, quàm id, quod Apoſtoli immediatè à Chriſto, vel ab inſpiratione Sancti Spiritus accipientes, diſcipulis ſuis viva voce reliquerunt, & tradiderunt ad inſtructionem Eccleſiæ, ſive circa dogmata, ſive circa morum diſciplinam: ab his per continuam & nunquàm interruptam ſeriem Doctorum & Paſtorum in prædicationibus, eadem illa Traditio Apoſtolica ad nos usque tandem pervênit, quin ullus Scriptor Canonicus eam in ſacris libris expreſſerit, ità ut ex verbis ſcriptis manifeſtè atque infallibiliter demonſtrari poſſit: id enim ſi fieret, jam non Tradditio propriè, ſed ſcriptura eſſet.

Duæ autem ſunt ſpecies Traditionum Apoſtolicarum: aliæ, quæ ad dogmata ſeu ad doctrinam referuntur: aliæ verò, quæ ad guber-

natio-

nationem, uſus varios & conſuetu
dines pertinent: iſtarum nonnull
variari poſſunt pro diverſa circum
ſtantiarum, locorum, temporum
& perſonarum exigentia, quales ſu
Traditiones de modo & ritu admi
niſtrandi Sacramenta. Aliæ ſunt ſta
biles, firmæ atque immutabiles, im
etiam indiſpenſabiles, & tales ſun
traditiones circa ſubſtantiam Sacra
mentorum, materiam & forman
eorundem. Traditiones hujusmo
di, quæ immediatè ab ipſo Chriſt
ore proveniunt, neque mutantur
neque ulli ſubjacent Eccleſiæ diſpo
ſitioni; ſicut nec illæ, quæ proban
vel docent aliquod dogma vel arti
culum fidei; quæ à nullo alio, ſe
à ſolo DEO dependent, qui ea
nobis revelavit, ſemperque Divin
fide ſunt credendæ.

E Proteſtantibus nemo ferme iſt
negat, ſed potiùs nobis conſentiunt
quòd nempe tales Traditiones, ſ
exiſtunt, eandem æquè ac ſcriptur
ſacra habeant authoritatem; ùt qua
ex uno eodem fonte promanant
qui eſt Chriſtus JESUS & Spiri
tus Sanctus; & quia Verbum DEI
pariter

ariter eſt Verbum DEI, quando
iva voce profertur, ac dum ſcribi-
ur; præſertim cùm Chriſtus man-
averit ſuis Apoſtolis, ut prædica-
ent, non verò ſcriberent; & ſcri-
tura ſolùm valeat, ut Verbum DEI
rvetur, vel ad eos, qui illud au-
ire nequiverunt, ſermone ſcripto
ransmittatur. Videndum itaque
am reſtat, an re ipſa tales habean-
ur Traditiones, quæ nullatenus re-
eriantur in ſcripturis; quod utì
roteſtantes negant, ità nos facile
robamus & oſtendimus.

Primò enim nemo ignorat cele-
re illud S. Pauli ad Theſcalonicen-
es dictum: *Tenete Traditiones &c.* Ubi 2. C. 2.
ulcherrimè diſtinguit res, & Tra-
itiones, quæ in ſcripturam redactæ
unt, ab illis quæ non per ſcriptu-
am, ſed viva voce acceptæ & re-
eptæ fuerant. Neque hìc Prote-
tantes dicere poſſunt; quòd Tradi-
iones, de quibus agit Apoſtolus,
liud non ſint, quàm diſpoſitiones
iſciplinæ Chriſtianæ, & Eccleſiæ:
i enim id ſolùm dicant, mox in eos
Calvinus & Beza inſurgunt, qui ter-
minis non obſcuris conſtanter ajunt,
quòd

quòd Apoſtolus hôc locô agat omnia de doctrina, & peculiariter de illa doctrina, in qua omnes illi, qui ſalutem à Domino expectant, conſtanter debent perſeverare: ità benè ſcribit Beza.

Calv. Beza. Comment. in hæc verba.

Et nónne jam ſat clarè oſtendimus, quòd ſenſus verus ſcripturarum, & controverſus ſe ſolo & per ſe ipſum, neque cognoſci, neque explicari poſſit? nónne vidimus, quòd hæc verba: *Ego & Pater, unum ſumus*, expoſita fuerint, ab Arrianis, & etiam à Calvino, in ſenſu contrario, & diverſo, ab illo ſenſu, in quo illa intellexerunt, Patres Concilii Nicæni, ad probandam Divinitatem Verbi, & Trinitatem Divinam? ſcriptura nîl docet, nîl indicat, quonam pacto ſit intelligenda ipſa, ad firmandam veritatem hujus tam magni myſterii, vel per hunc, vel per alios textus, in quibus aliquid reperitur obſcuritatis: docet autem & indicat hoc nobis Traditio; quia redeundo & aſcendendo à Patribus hujus Concilii, usque ad diſcipulos Apoſtolorum, deprehendimus, quòd iſti ab illis acceperint hanc

hanc interpretationem, quam Magiſtri eorum, nempe Apoſtoli, immediatè à Spiritu Sancto acceperunt, qui eos omnem docuit veritatem. Ergo verum eſt, per Traditionem haberi, quod per ſcripturam haberi non poteſt. Nec aliud Patres illi Sancti reſpondebant Arrianis, impudenter poſtulantibus, oſtendi ſibi è ſcriptura unicum textum, qui clarè doceret, Spiritum Sanctum eſſe DEUM. ſi nihil credamus, nisì quod explicitè & clarè in ſcripturis eſt, ut illis ſcribebat S. Baſilius; neque hunc articulum credemus: quia ergo plura alia myſteria credimus absque expreſſa ſcripturæ authoritate, etiam iſtum recipiamus: credimus enim hanc eſſe conſuetudinem Apoſtolicam, firmiter inhærere Traditionibus non ſcriptis: additque, quòd Apoſtoli obſcurè ſcripſerint de myſteriis fidei, quæ obſcuritas quædam ſilentii ſpecies eſt; & cauſa propter quam Traditiones tenemus non ſcriptas, quæ nos ex his tenebris educant.

Libr. de Spirit. Sancto, c. 27. & 29.

S. Gregorius Nazianzenus acriùs invehitur in hæreticos iſtos in hoc eodem

Orat. 37.

eodem argumento, dicens: Vos quidem valde, inquit, inciviles eſtis, malè nobis vertendo, quod ipſi facitis. Quoties enim vos creditis ea, quæ in ſcripturis clarè nusquam reperiuntur? nónne vos dicitis, Patrem non genitum & ſinè principio eſſe? at hoc, ubi ſcriptum inveniſtis? Idem in terminis docet S. Auguſtinus ad Maximinum: *Tu ubi legiſti, Patrem eſſe ingenitum vel innatum?* Nónne alibi, ſcribens contra Donatiſtas, ait, doctrinam Eccleſiæ docentis, hæreticos non eſſe rebaptizandos, non aliunde provenire, nisì à Traditione Apoſtolica? Et, ut alia exempla proferamus; ex quo textu ſcripturæ Proteſtantes nobis oſtendere poſſunt, id quod nobiſcum tenent, contra Anabaptiſtas, parvulos infantes baptizandos eſſe, antequam uſu rationis prædìti ſint, & inſtrui poſſint in fide? contra ſocinianos; quòd Baptiſmus ſit Sacramentum, ſignificans gratiam, quæ in eo confertur; non verò ſimplex aliqua cæremonia, quâ ſub initium Religionis,

Lib. 3. contra Maxi. Ar. C. 3. Libr. contr. Donat. C. 7.

nis, Chriſtiani diſcriminabantur à Paganis; quod illi hoc tempore non eſſe neceſſarium dicunt? contra Neſtorianos, quòd in Chriſto unica ſit perſona, & Beatiſſima Virgo ſit Mater DEI? contra Helvidium, quòd ſemper fuerit Virgo? contra Pyrrhum & Sergium, quòd plures quàm una fuerint operationes in Chriſto? & ſexcenta alia ſimilia contraria dogmata, quæ fateri debent ipſi, tolerari jam non poſſe absque hæreſi. Tacet interea de his omnibus ſcriptura; aut ſi quid inſinuat, id adeò obſcurè agit, ut hæc obſcuritas locum ſilentii teneat, ùt ſupra dicebat S. Baſilius.

Hæc eſt cauſa, quòd ſecundùm varietatem temporum, in Eccleſiá diſceptatum fuerit de his dogmatibus, an clarè in poſſeſſione fidei eſſent; an non; quod volebant hæretici, qui mox è ſolo Traditionis manifeſtæ, capite, condemnati fuerunt, & convicti ùt Novatores. Si res aliqua nondum fuiſſet aliàs definita; tum examinabantur omnium ſæculorum antecedentium teſtimonia, ſemper aſcendendo veluti per quos-

quosdam gradus, usque ad diſcipu-
los Apoſtolorum, ad deprehenden-
dam Traditionem Apoſtolicam, ſiv
de legitimo ſenſu ſcripturæ, ſiv
quid ipſi de illa materia tenuerin
& docuerint, ſinè ſcriptura. Quo
ipſum eleganter exprimit S. Epipha-
nius his verbis definitivis: *Opor-*
tet & Traditione uti: non
enim omnia à Divina ſcri-
ptura accipi poſſunt, qua pro-
pter aliqua in ſcripturis, ali-
qua in Traditionibus Sanct
Apoſtoli tradiderunt, quæ ver-
ba utique clarè decidunt id quo
ſupra dicebamus. His tamen adhu
perſuaderi nolunt Domini Proteſtan-
tes, & fortiter negant, ullam a
Apoſtolis doctrinam viva voce no-
bis relictam eſſe, quæ non ſit in
ſcriptura, & quæ ſinè ſcriptura ſuf-
ficiat ad decidendas controverſias
quam ob cauſam perpetuò prote-
ſtantur, ſe non admittere aliud
quàm puram & ſolam ſcripturam
ad hanc ſolam provocant, prout o-
mnes aliorum ſæculorum hæretici
Hoc dicebat Marcion & Valentinu

Hær. 6. paulò poſt medium.

Ter

Tertulliano teſte; hoc Arriani, ùt docet S. Epiphanius & S. Auguſtinus; hoc Pelagius, qui, ùt idem notat Auguſtinus, dicere ſolebat: Credamus, quod legimus; quod non legimus, credamus id ſtabiliter teneri non poſſe. Hoc fecerunt Neſtorius, Eutiches, Dioſcorus, ùt probat S. Baſilius Epiſcopus Ancyræ, in Confeſſione fidei, quam ſeptimæ obtulit ſynodo: hoc altè inſonabant Iconoclaſtæ dum in eodem eſſent Concilio: hoc denique à nobis, dici ſibi noluerant, quotquot ſuperioribus ſæculis ſe à nobis ſeparârunt, conſtanter clamantes Scripturam ſolam eſſe fidei regulam; nullam admittendam in materia dogmatica & doctrinali Traditionem.

De præſcript.
Hær. 75.
lib. contra Maxim.
lib. de Nat. & grat. c. 39.

Nolim ego hac de re litem Eis movere in præſenti: cùm planè ſit evidens, ex hoc ipſo, quòd nullam recipere velint Traditionem; hanc Eis non poſſe eſſe regulam certam & infallibilem, qua certificentur de Verbo DEI puro & incorrupto, ejusque legitima & vera intelligentia. Imò tametſi reciperent Traditionem, ſicuti nos recipimus, adhuc

E non

non poſſet illis regula hæc præbe
ſecuritatem dictam : quod facilè c
ſtenditur iisdem rationibus, quibu
clarè probatum à nobis eſt, quò
ſcriptura ſacra, ſe ſola cognoſci v
intelligi non valeat. Primò enim
dubitetur de authoritate cujuspian
Traditionis, an videlicet ſit vel no
ſit Apoſtolica; cùm ipſa de ſe lo
qui, & explicare ſe nequeat, nequ
ſe ipsâ ſolâ ſit evidens & clara; eâ
dem planè ratione, tribuere non po
teſt hanc certitudinem, quâ dubium
hoc definiat. Dicetis ſciri hoc e
teſtimoniis eorum, qui nos aſſecu
rant, quòd hanc doctrinam accepe
rint ab Apoſtolis, aut à primis eo
rum diſcipulis. At ſi dubium ſit
an iſti non fallant, aut ipſi fallan-
tur? Illi enim homines ſunt, qui fa-
cilè & decipi poſſunt & decipere,
narrando ſuas viſiones, vel potiùs
illuſiones, nobili titulo & authori-
tate cujuspiam Apoſtoli eas conde-
corando, prout plurimi fecêre im-
poſtores, in primis Eccleſiæ ſæculis.
An non etiam fieri poteſt, ut quis-
piam Vir probus, ſua ſimplicitate,
defectu diſcerniculi ſeducatur, ut
miſe-

miſerum in modum factum eſt cum Papia, in ejus commentariis de ſermonibus Domini, quorum fragmentum modicum ſupereſt apud Euſebium, quem hìc referre juvat. *Lib.* 3. *C.* 33.

Hic Papias erat Epiſcopus Hieropolitanus, magnus S. Polycarpi amicus, & diſcipulus Joannis Presbyteri, diſcipuli Chriſti. In præfatione ad ſuos Commentarios dicit: quòd in veritate quidem Apoſtolos non viderit, neque audiverit; multa nihilominus ad fidem ſpectantia didicerit ab iis, qui magna familiaritate cum illis fuêre conjuncti. *Non ero, inquit difficilis ad ſcribendum veſtri amore, quæ à magnis Viris audivi, & diligenter ſervavi. Addam ibi lucem, quam illi affuderunt verbis myſterioſis, de ore ipſorum à nobis auditam, ut confirmem quantum potero, veritatem nobis relictam per Traditionem: non enim placet, quod paſſim fit,*

audire illos, qui multa dicunt: ſed eos, qui vera proferunt; Tales non ſunt narratores novitatum; ſed eos, qui magna proferunt, ex ore veritatis prodeuntia; quæ nimirum à Chriſto Domino, per Ejus diſcipulos proveniunt. ſi occurrit quispiam de ſenioribus & Presbyteris, eos ſolicitè interrogavi, quid ab illis audiverit. Scire cupiebam, quid Andreas, Petrus, Philippus, Thomas, Jacobus, Joannes vel Matthæus, aut alius quispiam diſcipulus Domini, quid demum etiam Ariſton, quid Joannes Presbyter, qui inter hos beatos numerantur diſcipulos, edixerint. Non enim ea ſolùm credidi, quæ in libris leguntur, ſed etiam ea, quæ ex ore iſtorum Virorum

rum didici, qui tunc adhuc vivebant. Ecce Virum, qui tanti facit Traditionem, in qua decipi non deberet; utpote adeò fonti ejus vicinus. Et tamen ibidem addit Euſebius, quòd Author iſte multa ſparſerit fabuloſa, quaſi ea per Traditionem non ſcriptam, accepiſſet; etiam parabolas & novas doctrinas, à Chriſto derivatas exiſtimans; inter alias, quòd regnaturus eſſet Chriſtus humana ſpecie mille annis poſt univerſalem corporum reſurrectionem; qui error Millenariorum appellatus eſt.

Cæterùm (inquit Euſebius) Epiſcopus iſte has omnes doctrinas falſas amplexus eſt, ex eo, quòd nunquam intellexerit ſenſum verborum & ſententiarum Apoſtolorum, quæ illi narrabantur; utpote multa obſcura & figurata: fuit enim Vir iſte intellectu & ingenio admodùm imbecilli, quod ex Ejus ſcriptis colligitur. Sic igitur Papias, quantumvìs Apoſtolorum temporibus viciniſſimus ſuâ ſe ſimplicitate fefellit, accipiens pro Traditione Apoſtolica id,

quod non erat Apoſtolica Traditi
Quomodo ergo nos certò ac infall
biliter ſciemus, quid de hac Trad
tione ſentiendum & tenendum ſit
de qua rationabiliter dubitatur
Quia verò paſſim de Traditione ali
qua quæritur in ſcriptis Patrum
nónne adhuc agnitâ etiam eorun
authoritate controverti poteſt, &
ſolet quandoque de ſenſu, in quo
intelligenda ſint eorum verba? An
non etiam diebus noſtris, videmus
à partibus contrariis, à nobis & à
Proteſtantibus magna prodire volumina, in quibus Patres ſex primorum ſæculorum producuntur, de Traditionibus penitus oppoſitis circa materiam Euchariſtiæ, iisdem eorum verbis duplicem ſenſum penitus contrarium tribuendo? Adhuc ergo alia eſt apprehendenda regula, qua certiſſimi reddamur, de verò eorum ſenſu; propter eandem rationem, qua oſtendemus, aliam regulam præter ſcripturam eſſe neceſſariam. Ex his omnibus manifeſtè probatis, facilè concludo, quòd Traditio non poſſit certos reddere Proteſtantes de revelatione & locutione Divina in ſcripturis ſacris.

CAPUT

CAPUT XII.

Demonſtratur, quòd judicium Eccleſiæ Proteſtantibus non ſit regula infallibilis, qua ſciant ſe habere verum Verbum DEI.

NOn hìc agimus de ſignis veræ Eccleſiæ, quibus hæc à falſa diſcernatur: ſatìs eſt, quòd unaquæque pars, ſuam teneat pro vera, ad hoc, ut oſtendatur, quòd in controverſia iſta graviſſima, & tam antiqua, omnes Proteſtantes fateantur nobiſcum, eſſe in mundo veram Eccleſiam à Chriſto fundatam, quæ eſt congregatio ſeu Cœtus fidelium, qui licèt ab invicem differant varietate locorum, ſtatuum, & conditionum, omnes tamen uniti ſunt, eâdem religione, ac fide illius Eccleſiæ, in qua fuerunt, ambæ partes, antequam ſe ab invicem ſeparâſſent, propter diverſitatem opinionum in materia fidei: cùm enim Eccleſia illa fuerit unica & vera,

qualem utraque pars diſſidens agnovit, neceſſe eſt, illam etiam fuiſſe veram, ex utriusque partis ſententia. Denique fatemur iterum æquè nos & Proteſtantes, quòd Conventus legitimus Paſtorum & Theologorum repræſentet Corpus hujus Eccleſiæ ad ordinanda & diſponenda ea, quæ ad morum diſciplinam, & doctrinam pertinent, in controverſiis circa hæc emergentibus. Reſtat igitur demonſtrandum, an in controverſia de ipſa ſcriptura ſacra, Eccleſia ſit regula iſta infallibilis apud Proteſtantes, quâ certi & ſecuri fiant, ſe habere Verbum DEI purum, & verum ejus ſenſum ſecundùm literam, & ſecundùm ſpiritum ſeu intelligentiam?

Paucis totum definiri poteſt; aſſerendo, id fieri nequaquam poſſe. Ratio eſt; quia illi omnes tenent, tanquam principium indubitatum, quòd Eccleſia non ſit infallibilis, cùm ſit ſolùm Congregatio hominum, qui ſunt obnoxii errori, neque immediatè dirigantur, & edoceantur à Spiritu Sancto, prout edocebantur & dirigebantur Apoſtoli in Con-

Concilio Hieroſolymitano, & conſequenter quòd & ipſa Eccleſia errare poſſit in rebus fidei: Continet hoc ipſorum fidei Confeſſio: idem ſemper repetunt, & proteſtantur, ſibi regulam fidei, & Judicem controverſiarum non aliud eſſe, nec velle præter ſcripturam ſacram. Hoc celebriores eorum Miniſtri, poſt Calvinum, conati ſunt probare ex ſcriptura & Hiſtoria integris Tractatibus de hac re conſcriptis; ità quidem, ut Moulineus audacter aſſerat, propoſitionem eſſe temerariam, & ab omni veriſimilitudine alienam, quæ dicit, Eccleſiam errare non poſſe. Hoc idem Dominus Claudius, cujus opera magno cum plauſu inter proteſtantes recepta ſunt, tuetur, dicens, conſenſum totius Eccleſiæ ſolùm eſſe principium humanum; opinionem autem de ejus infallibilitate, præcipuam eſſe cauſam defectuum, quos aliqua committit Eccleſia, quæ tunc in errorem prolabitur, quando exiſtimat ſe in errorem labi non poſſe.

Artic. 4, & 31.

Lib. 4. Inſtit. c. 9. ſect. 7.

Moulineus in ſuo Clypeo. P. 1. ſect. 6. & ſeqq.

Scio etiam nonnullos ex illis dixiſſe, Eccleſiam errare in fide poſſe;

non tamen in fidei articulis. Aſſertum hoc magni eſt momenti; quod facile diſtinere poſſet eos, qui illud non intelligerent: ſed ſi examinetur audax aſſertio iſta, manifeſtè deprehenditur, nihil magìs chimæricum aut falſum eſſe, quàm ſit iſta miſerabilis diſtinctio. Dum enim urgentur Domini iſti, ut ſe ſe explicent, quid nam ſincerè intelligant per articulos fundamentales, dicere coguntur, eos eſſe, qui neceſſariò, diſtinctè credendi ſunt, ad ſalutem conſequendam, quando ab Eccleſia proponuntur credendi juxta Verbum DEI, quod articulos in ſcripturis revelavit. Hæc ſi ità ſunt, juxta ipſorummet principia, nihil de fide habent, quod non ſit articulus fundamentalis: quia nec unicus eſt, qui ſecundùm eorum doctrinam non ſit in ſcriptura: quando autem Eccleſia illos proponit ùt revelatos in ſcriptura, jam neceſſarium eſt ad ſalutem, ut eos credant æquè ac alios, qui fortè majoris momenti ſunt: nam obligatio credendi non fundatur in pondere veritatis propoſitæ ùt à DEO revelatæ, ſed in reve-

revelttione ipſa ſive magni ſive parvi momenti ſit veritas, quæ ab eadem authoritate proponitur. Credere autem rem unam, & non credere aliam, quam DEUS æquè dicit, gravis certè DEO irrogatur injuria. Si dicitis, Eccleſiam errare non poſſe proponendo unam veritatem fundamentalem ſeu neceſſariò credendam; poſſit autem errare proponendo aliam, quæ nulla eſt; quæram ex vobis; cur prima credenda eſt, ſi Eccleſia illam proponat ùt revelatam à DEO? reſpondebitis: qnia talem proponendo Eccleſia eſt infallibilis, non eſt autem infallibilis proponendo alteram: at talis reſponſio, ut propriè loquamur, nulla eſt, ambulatque ſinè progreſſu, in circulum valde vitioſum; ùt per ſe patet. Diſtinctio itaque inter articulos fundamentales & non fundamentales, mera eſt imaginatio & illuſio. Præterea, hanc diſtinctionem Domini Proteſtantes nunquam invenire poterunt in ſcriptura, ſinè qua nihil credendum, nihil admittendum eſſe contendunt. Imò tam longè diſtat à ſcriptura diſtinctio illa

Jacob.2. inanis, ut potiùs ſatìs apertè do-ceat, eum infidelem eſſe, qui ve unicum fidei articulum propoſitum credere nollet, & quòd, ùt loqui-*Epiſt.48.* tur S. Auguſtinus, *in his paucis, in quibus non mecum; non eis proſunt multa, in quibus mecum.* Præterquam quòd ipſi valde inter ſe dividantur, circa hæc fundamentalia credenda, & ad ſalutem neceſſaria, dum hi aliqua reſcindunt ab eorum numero; quæ alii adſcribunt: incertitudo hæc penitus evertit omnem illam ſecuritatem, quam requirimus, & omnes agnoſcunt eſſe neceſſariam ad ſciendum, quid à DEO revelatum ſit.

Porrò ad hanc Proteſtantium diſtinctionem evertendam, omiſſis aliis validis argumentis; ſufficiant meliores illorum Miniſtri, qui conati ſunt probare, quòd Eccleſia non ſolùm errare poſſit, verùm etiam re ipſa erraverit non raró in rebus magni momenti, imò etiam juxta ipſos, in maximè fundamentalibus. *Tract. de Euchar.* Concilium Nicænum, ait Maiſtrezatus, definivit Conſubſtantialita-tem

em Verbi contra Arrium, qui noluit ſymbolo inſeri vocem conſubſtantialis; at Concilium Ariminenſe deſtruxit, quod Nicænum adſtruxit, ſententiam planè contrariam pronuntiando, de ſymbolo prædictam tollendo vocem. Hæc profectò magna infidelitas, aut extrema cæcitas iſtius Miniſtri eſt, qui ſolam hic arripit & refert reliquam, ſeu reſiduam partem veri Concilii Ariminenſis, quod confirmavit doctrinam Concilii Nicæni, ùt loquitur S. Athanaſius: accipit, inquam, Cætum in captivitate detentum & violentiâ Imperatoris Arriani oppreſſum, Conciliabulum videlicet, ſinè forma, & poteſtate legitima, ſinè libertate, pro Concilio Acumenico; fraudes & aſtutias Valentis & Urſacii pro deciſionibus Eccleſiæ. Facillimè autem confundere poſſem hunc Miniſtrum ſolis teſtimoniis S. Athanaſii, S. Baſilii, S. Hilarii, & multorum aliorum, qui tempore illo floruerunt. Non tamen id facio: cùm ſufficere mihi videatur, hac ratione palàm ab eo fieri, quòd credat, Eccleſiam univerſam errare poſſe. Hoc ipſum

Ὁμοούσιος
Ann. 363.

Lib. de ſyn. Arim. & Seleuci.
Epiſt. ad Magn.
Athanaſ. lib. 2.
Hiero. Dial. adv. Lucifer.

ipſum probare conatur, etiam ridicula illa oppoſitione inter Concilium Epheſinum ſecundum, quod ipſe univerſale vocat, & quod hæreſim Eutichianam confirmavit, & inter Concilium Chalcedonenſe, in quo ſolemniter condemnata fuit. An ergo ignorat homo iſte, exiſtimatum illud Concilium Epheſinum in ſummo fuiſſe horrore omnibus Chriſtianis illo tempore propter enormes violentias in eo exercitas à Dioſcoro, ità ut appellatum fuerit latrocinium? ſed enim pruritus animi ad probandum, quòd Eccleſia errare poſſit, efficit, ut absque diſcrimine arripiat quidquid libet: quem in finem etiam trahit duo miſerabilia conciliabula duorum Imperatorum Iconoclaſtarum, Leonis Iſaurici, & infamis Conſtantini Copronymi, eaque Concilio Nicæno contraponit, quod à Moulineo ab eodem ſpiritu afflato arguitur multorum errorum, & præcipuè, quôd Crucis adorationem, & imaginum venerationem, confirmaverit; quæ Dominis Proteſtantibus appellare placuit idololatriam. Nimirum adeò verum eſt,

Ann. 449

Ann. 454

Liberat. in Breviar. C. 12.

Ann. 780.

Nouv. de Pap. l. 1. C. 14.

eſt, quòd tanquam principium certum teneant, Eccleſiam in rebus fidei, errare poſſe, ità ut nec articulos fundamentales eximant ab errore: quomodo ergo ab Eccleſia edoceri poterunt, cum certitudine, quòd ipſi inter ſe veras & legitimas poſſideant ſcripturas.

Ampliùs eſt, quòd Calvinus ipſe difficilis non ſit, in concedendo, Eccleſiam errâſſe, præſertim in eo, quòd ipſa recipiat pro Verbo DEI, id, quòd ſecundùm ipſum, non eſt verè Verbum DEI. Tenet ille pro Vera Eccleſia, illam, quæ in quatuor primis Conciliis repræſentabatur, & in qua vixerunt Athanaſii Cyrilli, Ambroſii, Hieronymi & Auguſtini, quos ipſe defenſores veræ Eccleſiæ appellat, & fideles antiquitatis teſtes: nihilominus liberè aſſerit, quòd libri, quos ipſe à Canone reſecat tamquam incertos & apocryphos, hàbiti ſint pro Sacris & Canonicis à tertio Concilio Carthaginenſi, cui S. Auguſtinus interfuit: aliunde verò, ùt Ei ex lectione conſtabat, ignorare non poterat, quòd hæc magna Concilia, & tam

Inſtit. l. 4. C. 2. Confeſſ. a, 6.

Autid. Conc. Trid. ad ſeſſ. 4.

tam Sancti Doctores quos magnis condecorat elogiis, eosdem libros unanimi conſenſu receperint, quorum authoritatem ad confirmandas fidei veritates ſæpiſſimè allegant. Cùm ergo Patres iſti, idem cum Eccleſia ſenſerint, de doctrina, cujus erant teſtes fideles, de Calvino dubitari non poteſt, credere ipſum, quòd vera Eccleſia poſſit errare, & re ipſa erraverit in diſcernendis ſacris illis libris; adeoque poſſibile non eſt, ut ſit regula infallibilis, Proteſtantibus, quâ diſcernere poſſint Verum DEI Verbum à falſo, ſeque certos & ſecùros facere de hoc principio & fundamento fidei. Aliud proinde illis non ſupereſt, quam ſpiritus privatus, in quo certitudinem iſtam inveniant; de quo nunc agendum nobis eſt.

Auguſt. lib. 2. de Doctr. C. 8.

CAPUT

CAPUT XIII.

Demonſtratur, quòd ſpiritus privatus, ſeu interior perſuaſio non poſſit eſſe regula certificans Proteſtantes de vero DEI Verbo

DOmini-Proteſtantes articulô 4. Confeſſionis fidei, profitentur, ſe agnoſcere & admittere ſacros libros, non ità propter communem Eccleſiæ conſenſum, quàm propter internum teſtimonium & perſuaſionem ſpiritûs ſancti. Ut hanc novam & priùs inauditam doctrinam primi illius defenſores aliquâ nobilitarent authoritate ſéque, confeſtim à tricis expedirent; recurrebant ad quemdam ſpiritum privatum, docentes, quòd Spiritus ſanctus in cordibus fidelium operetur, illos internè docendo, juxta promiſſionem à Chriſto factam, atque per ſe ipſum aperiendo, & indicando & ſcripturam & verum ejus ſenſum. Inventio iſta, utrumque commoda videri poſſet, ad

ad venditanda liberiùs omnia ſomni pro oraculis & prophetijs. Satìs eſt referre phanaticos illos Enthuſiaſtas Anababtiſtas, Illuminatos, Tremulantes, ipſumque Mahometem, qui omnes dicebant, quòd ea, quæ ipſi credebant, aut docebant, omnia immediatè promanarent illis à ſpiritu ſancto, ab unctione interna, & ut verbis utamur Anababtiſtarum, à revelatione Patris. Si porrò ex his quæras de ijs, quæ credunt; ùt incredulus & rebellis Divino lumini damnaberis. Poteſtne quidpiam riſu magis dignum excogitari? Hanc ob cauſam plurimæ victoriæ de Proteſtantibus reportatæ fuerunt, dum ex hoc latere, ſanè debiliſſimo impugnabantur. At hodiernis Proteſtantibus id jure tribuendum non eſt, qui ſunt paulò acutiores ſuis anteceſſoribus, ſuam novellam doctrinam duntaxat eructantibus: Neque enim alia ulla eſt, quàm Vera & Antiqua Religio, quæ à ſuis incunabulis omnem ſuam habuit perfectionem ſubſtantialem, utpote immediatè à DEO manans, qui dum ſolus operatur, nîl niſi perfectiſſimum in ſua ſpecie producit: quia

uia verò novæ ſectæ, non niſi humanæ ſunt inventiones; non poteant ab exordio ſuo, itè omnia ordiare & ſtatuere, quin fuerit neceſſe as mutari à ſucceſſoribus, etiam in pſis principijs & fundamentis, ut ſe liquomodo à difficultatibus antea on præviſis expedirent; ad quas rimæ cogitationes adhuc indigeſta, ec ſatìs cohærentes compellebant rimos ſuarum ſectarum Progenitoes.

Hoc inquam laudis, jure hodiernis reteſtantibus attribui poteſt, quòd m hebetem depoſuerint illuſionem, um id, quod ſub initium pro dognate fundamentali ſuæ Religionis teebant, hodie apud ipſos habetur pro eptia, quæ directè ad impiam ducit bertatem. Ipſe Moulineus, qui unquam ſtupiditatis arguebatur, robè videns, hac vià peſſumire omnem honorem & fidem apud homies, impugnat ſpiritum iſtum privaim, utpote ſano intollerabilem inellectui; quem aſſerit eſſe medium viam ad Atheiſmum; & in eo funare Divina oracula, vel propter usmodi perſuaſionem internam credere

Novaute du Papi C. 17. Chyp.

credere Verbo DEI, generalem eſſe inſaniam; quà certa convellitur veritas, dum probationi tam infirmæ innititur; & ſcriptura, dum iſta fictione putatur firmari, evertitur; Eodem ſtylô de hoc ſpiritu privato loquitur Dom. Vigier in parvo Tractatu ſuo, pro defenſione libri de Perpetuitate, tanquam Chimæricum eum traducendo, dicens: quoad ſpiritum privatum, per quem Dom. Arnauldus vult perſuadere, per eum explicandas eſſe ſcripturas, mera chimæra eſt, jam toties refutata, ut mirum ſit, quòd talibus inhæreat objectionibus. Similiter Dom. Albertin in præfatione libri de Euchariſtia, ubi conatur oſtendere, quòd Patres primorum ſex ſæculorum pro ſua ſtent ſententia: nihilominus aſſerit, quòd ſicut ſinguli eorum, ex humano locuti ſunt ſpiritu erroribus ſubjecto; ità conſentientia eorum teſtimonia de aliquo ſcripturæ textu, ſit quædam humanæ congeries authoritatis, quæ falli & errare poteſt. Qui, jam dicat, quòd Miniſter iſte, qui ùt videtur, noſſe debuit, quæ ſit ſuæ ſectæ fides, perſuaſum habuerit, hos Sanctiſſimi

Pag 49.

Patres,

Patres, quos putabat eſſe Proteſtantes, æquè ac ipſe, intellexiſſe ſcripturas ex teſtimonio interno & perſuaſione Spiritûs Sancti? Sed quia inter illos etiamnum inveniuntur aliqui nondum ex toto chimæram iſtam deponentes, & inter nos quoque ſunt nonnulli, qui, antiquis aſveti controverſiis, exiſtimant, hâc viâ impugnandam eſſe adverſariorum defenſionem; ideo tam pro inſtructione quàm pro ſatisfactione utriusque partis breviter oſtendam novis Miniſtris, quòd regulam adeò infirmam, illuſionibus plenam rationabiliter deſerant.

Quare peto ex illis, qui adhuc confugiunt ad hanc regulam ſpiritus privati; unde ſciunt, quòd ſcriptura, quam in confirmationem ſuorum fidei articulorum allegant, ſit Verbum DEI? & ſenſus, in quo eam intelligunt, ſit a Spiritu Sancto? Reſpondebunt, ſe id cognoſcere per lumen & inſpirationem ejusdem Spiritûs Sancti, internè operantis, qua infallibiliter diſcernunt verum à falſo. Concedo, infallibile eſſe, quidquid Spiritus Sanctus dicit: at urgeo quæſtionem facti: edicant, an ſit infallibile, quòd

Spiritus

SpiritusSanctus illis internè loquatu
& unde id ſciant? Cum enim d
cant, totam errare poſſe Eccleſia
ſimul congregatam, in quæſtione f
cti, & circa res interiores, de quib
etiam ſenſus exteriores judicare po
ſunt: nónne multò magìs debet po
ſe falli ſingularis quisque homo circ
actum ſuum internum, & in fund
cordis latentem, ubi plurimæ ſun
latebræ arcanæ, quæ non facilè pe
netrantur? Neceſſe igitur eſt, ho
factum, ut ſit infallibile, cognoſc
per ſcripturam, extra quam nihil in
fallibile volunt admittere, Ità pro
fectò reſpondent, ſe de hoc per ſcri
pturam certos eſſe, quæ id pluribu
in locis pollicetur; dum dicit quòc
erunt omnes docibiles DEI, quòd
Iſai. 54. oves ſuæ audiant vocem ejus, quòd
Joa. 7. Spiritus veritatis docebit nos omnem
Joa. 10. veritatem, ejusque unctio nos in-
1. Joan. 6. ſtruet.

At ecce illos reverſos ad priora, lepidum in circulum in labyrintho ambulantes, ex quo nunquam exire poſſunt. Nam regula iſta quam ſibi eligunt, ad obtinendam certam ſecuritatem de ſcriptura, proſuppo-

nit

nit hanc certitudinem, quam aſſerunt. Certi ſunt de ſcriptura per ſpiritum privatum, & de hoc ſpiritu privato certi ſunt per ſcripturam. quomodo combinantur iſta? poteritne intellectus unquam invenire quietem perpetuò ità circumeundo & ad idem redeundo? Quòd ſi ad declinandum hunc vitioſum circulum dicere audeant, quòd ſpiritum iſtum privatum cognoſcant per ſe ipſum; contra eſt; quia hoc ipſum eſt in quæſtione facti; cum juxta ipſorum principia omnis homo errare poſſit. deinde nunquid in ſcriptura dicitur, examinandum & probandum eſſe Spiritum, qui operatur in nobis, utrum à DEO veniat? nónne Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis? ſi autem nullus dubitationi locus remaneret, & ſpiritus iſte propriâ ſuâ claritate agnoſcatur, quemadmodum lux ſe ipſa videtur; hoc ipſo neceſſe jam no eſſet, examinare atque inquirere an ſpiritus iſte ſit ex DEO: nemo enim in pleno meridie adhuc examinandum & inquirendum eſſe duxit, an dies exiſtat. *1. Joan. 4.* *2. Cor. 11.*

Quid plura? ſi Eccleſia eſt columna

na & firmamentum veritatis ; hæc Eccleſia ; cui CHRISTUS Dominus tanta & tam ſingularia , tàmque ſolenniter pollicitus eſt, quòd contra illam inferi non prævalebunt ; & ſi tot Paſtores, tot viri clariſſimi, tot ſanctiſſimi Cœtus congregati, qui eam repræſentant ad dedicendas per ſcripturam ſacram controverſias in materia fidei, & ad inſtruendos fideles, non habent ſpiritum iſtum Divinum, qui eis infallibiliter oſtendat ſcripturam, ejúsque ſenſum verum & legitimum aperiat, quomodo absque verecundia & pudore , & ſinè metu indignationis univerſalis, dicere poterunt adverſarii, quòd minimus aliquis ex Proteſtantibus certò & infallibiliter ſciat ſe illum habere? & ſi quisque in particulari habet certitudinem iſtam, quomodo ſinè riſu omnium hominum , aſſeverare poterunt, quòd eam omnes ſimul ſumti non habeant ? Et ut ad intimum veritatis hujus fundum penetremus; obſervandum eſt, quòd regula hæc de qua hìc agimus, debeat eſſe non ſolùm certa & infallibilis, ſed etiam clariſſima , & ad omnibus cognita & agnita

agnita? ut nimirum in controverſis circa res fidei quæſtionibus emergentibus, unusquisque facilimè videre poſſit, cuinam parti adhærendum ſit, & à qua recedendum: alioquin enim ſemper maneret unusquisque dubius & anceps, nec Divina Providentia ſufficienter providiſſet ſecuritati & tranquillitati conſcientiarum, néque medium aliquod contuliſſet, eligendi id, quod ſequi deberemus, ad ſalutem conſequendam. Certum autem eſt, quòd ſpiritus privatus non ſit omnibus notus; imò néquè certò & clarè cognoſcitur ab eo, qui ſe illum tenere putat, ùt oſtenſum eſt; quomodo igitur alijs innoteſcet? Quid obſecro, faciat homo, in dubitatione aliqua conſtitutus, non ſentiens in ſe ſpiritum iſtum, & hanc internam perſuaſionem. Ad vos fortè recurrere debebit, qui eum à vobis haberi aſſeritis? ſed quid agetis, ut hunc illi oſtendatis, ità ùt de illo nullatenus dubitet; maneatque deinceps certus & ſecurus infallibili certitudine de illis quæ dictis?

Ut autem de ſolis fidelibus loquamur, edicite; an omnes habeant hunc

ſpiritum privatum, qui eos edoceat discernere ſcripturam veram à falſa? an non omnes? ſi omnes illum habent, unde eſt, quòd Patres in primis illis ſæculis erraverint in electione ſacrarum Paginarum, uti affirmant Proteſtantes? unde eſt, quòd Lutherus & Calvinus in his tam malè conveniant, ſicut & in aliis ſummè neceſſarijs & ſubſtantialibus? Unde eſt, quod Calvinus ipſe, fatentibus ejus diſcipulis, tam periculoſè erraverit circa ſenſum ſcripturarum, quibus Concilium Nicænum utebatur pro Divinitate Verbi adverſus Arrium? Unde hodiedum eſt, quòd exhibitis multitudini fidelium libris ſacris & apocryphis inter ſe permixtis absqe ullo indicio illis dato, dignoſcere non valeant, niſi caſu fortuitò, ſacros à non ſacris? denique unde eſt, quòd adhuc in Eccleſia indigeamus Doctoribus, interpretibus, & Paſtoribus, qui exponant ſcripturas, & earum textus de myſterijs altiſſimis, explanent ſicut & illos explanârunt, quibus hæretici Sociniani abutuntur, ad illa evertendi? Quòd ſi non omnes fideles habent hunc ſpi-

ri-

ritum privatum, ùt certò non habent propter invincibiles rationes noſtras; ille igitur, qui eo caret, nequit habere certam regulam, quâ certò ſciat, quòd alter illum habeat; cùm enim ſit ſpiritus privatus; hoc ipſo, ùt docet Miniſter Moulineus, alios nulla ratione juvare, aut ijs prodeſſe poteſt. *Lib. de Judic. Controv. Tract. 1. C. 17.*

Id, quòd adæquatè complet vim & robur argumentorum noſtrorum, eſt, quòd DEUS in præſenti ordine ſuæ Providentiæ ordinariæ non doceat nos immediatè per ſe ipſum, præſertim ad bonum commune & publicum, & ad ſalutem æternam pertinentibus: ſed id per alios facit homines, quos mittit, atque conſtituit in Eccleſia, ùt ait S. Paulus, ut adimpleant miniſterium ſuum, inſtruendo nos, ut nobis (addit Apoſtolus) non blandiamur, more parvulorum, & moveamur ad omnem doctrinæ ventum, per fraudem & artificium hominum, qui nos inducant in errorem. DEUS quidem per ſe ipſum tribuit nobis lucem Spiritûs ſancti, donum fidei, & gratiam actualem, ut hoc dono & principio

ſupernaturali inſtructi, operemur; id eſt, ut credamus ſicut oportet ad ſalutem. Hoc autem totum præſupponit, quòd id, quod credere debemus, proponatur nobis, & quòd habeamus motivum ſupernaturale ac Divinum, regulam quoque infallibilem ac Divinam, quæ nos de his aſſecuret, omni dubitatione atque incertitudine ſublata: hoc tamen totum DEUS operatur hominum miniſterio, ſic, veritates, quas à nobis credi vult, propoſuit nobis, non per ſe ipſum, ſed per Prophetas & Apoſtolos, qui ei ubique ſcriptò promulgarunt, id, quòd appellatur ſcriptura ſacra, in qua DEUS nobis loquitur etiam per ſcripturas hominum, qui ampliùs non exiſtunt in hoc mundo. Similiter, nunquam DEUS unicuique noſtrûm in particulari loquitur, certos nos faciendo, quòd ſit vera ſcriptura id, quod legimus in his vel illis libris, & quòd in hoc determinato ſenſu vero ſit intelligenda: ſed hoc nos edocet per os unius certæ, vivæ, & ſpiritu ſancto animatæ vocis, quæ ſe poſſit explicare in occurrentibus circa ſimilia quæſtionibus;

bus; quòd ſcripta mortuorum non præſtant. Per ſcripturam igitur mortuorum revelat nobis DEus myſteria, quæ in ſcripturis habemus; autem vivos autem docet nos intelligentiam ſuarum revelationum, cum omni certitudine & ſecuritate ad perfectionem noſtræ fidei neceſſaria.

Certè, ſi DEUS per ſemetipſum nobis manifeſtaret ſpiritum iſtum privatum & internam perſuaſionem? quærerem, qua ratione id faciat? fieretne ità, ut nemo unquam decipi poſſit, dum ſibi imaginatur, quôd ſpiritus ſanctus aliquid tali perſvadeat, de quo tamen ei nemo locutus eſt? Et ſic nemo unquam fidelium perverti potuiſſet, utì nec decipi circa ſcripturam, & verum ejus ſenſum: quòd affirmare, maxima ſanè foret ineptia, ſi vel imaginatione fingatur. Si autem potuit quiſpiam fidelis perverti, accipiendo proprium ſuum ſpiritum purè humanum, aut etiam dæmonis, pro ſpiritu DEI: in quas anguſtias & fluctuationes ſe conjiciet miſer iſte homo, ut diſpiciat, an id, quòd fieri poterat, ſibi reipſa non accidat? an non perperam agat? an id, quod verum putat, ſit potiùs illuſio? quo-

modo intellectus hujuſmodi hominis illuminabitur, & edocebitur de ſpiritu, à quo illuſtrationem omnem habere debet? quomodo ſpiritus iſte poterit eſſe illi regula, quâ contra omnes dubitationes firmetur, ſi iſte idem ſpiritus cauſa eſt formidinis & inquietudinis? docet ergo nos DEUS inſtar Magiſtri, à quo & doctrina provenit, & fons ejus veritas: ità omnino eſt, ſed hoc agit per alios, tamquam per organa ſua, & per ſuos interpretes. Docet nos, ut viſuri ſumus, modô admodum clarô & intelligibili, qui non ſinit nos hæſitare in ulla perplexitate & perturbatione, in quam nos conjiceret idem illud principium fidei, ſi hac regulâ certâ & omnino ſecurâ deſtituti eſſemus. Et hic eſt ſenſus, in quo intelligendi ſunt illi ſcripturæ textus, in quibus dicitur, nos omnes fore docibiles DEI, & quòd Sanctus DEI ſpiritus, nos docturus ſit omnem veritatem.

Denique tot, tantíſque argumentis addamus unum, cæteris magìs & commune & plauſibile, quòd ſolum ſufficit ad evincendam veritatem noſtram & omnem intellectum præ-

ditum

ditum ratione convincendum. Videlicet, quòd ſequendo hunc imaginarium Spiritum privatum, unitas fidei, horrendum in modum laceretur & convellatur. Datur enim poteſtas omnibus indiſcriminatim, fingendi & formandi libere ſibi talem Religionem, qualem quisque volet; eripiturque Chriſtianis omne medium cognoſcendi, & conſequenter confutandi hæreſes qualescunque. Anababtiſta, Tremulans, Independens, Lurheranus, Zwinglianus, Calviniſta, Socinianus, & alius in quacunque ſecta, quilibet privatus novam ſciet inſtituere ſectam, faciendo cum ſcriptura ſacra, quidquid Ei libuerit, demendo, addendo, prout commodo ſuo, & præjudicio adverſariorum videbitur ei oportunum. Efficient interpretatione ſua, ut ſcriptura dicat, quid quidillis libuerit, advocando in ſubſidium figuras & Metaphoras omnes, quæ ad finem ſibi propoſitum poterunt conducere. Poſt hæc omnia, ſi ab eis rationem petieris, cur ità procedant? reſpondebunt audenter, eodemque Jure ùt Vos Domini Proteſtantes, quòd

per Spiritum privatum & internam unctionem ità perſvadeantur, & de his, nullatenus dubitare poſſint. Atque ità omnia in enormi confuſione & perturbatione poſita erunt, ex tanta & prope infinita multitudine Spirituum internè contra ſe invicem pugnantium, ſinè omni regula, qua inter eos pugna finiatur, & lis decidatur; ſciaturque quis demum ſit Spiritus bonus, ut alij omnes damnentur.

Colligamus nunc in breve compendium omnia hucusque allata argumenta. Neceſſarium omnino eſt, ad unitatem fidei Divinæ, ſecuros & certos nos eſſe de certitudine infallibili, quòd DEUS dixerit ea, quæ credimus. Hanc certitudinem ut habeamus, iterum neceſſaria eſt regula quædam infallibilis, qua nos de hac ipſa re doceat infallibiliter, modum diſcernendi verum à falſo in controverſijs fidei, quæ regula neceſſariò debet eſſe vel Scriptura, vel traditio, vel Eccleſia, vel denique Spiritus privatus: Nihil autem ex his poteſt eſſe apud Proteſtantes talis regula. Ex quo manifeſtè deducitur, eos nullam habere

abere talem regulam ; adeoque nec
eram fidem. Poſtquam demoliti
ımus iſta , tempus eſt, ut manum
d exſtruendam fabricam admovea-
ıus.

CAPUT. XIV.

Oſtenditur penes nos eſſe, unicam, certam & infallibilem regulam, qua certiſſimi ſumus de Vero Verbo DEI.

POſtquam ſatis clarè ſolidéque demonſtratum eſt, quòd Cœtus illi Chriſtiani, qui ſe à nobis ſeparârunt, non habeant omnino fidem Divinam & ſupernaturalem, defectu regulæ infallibilis, qua de vero DEI Verbo aſſecurentur ; certum videtur eſſe, quòd inde concludere valeam, ipſos etiam non habere veram inter ſe Eccleſiam; quæ ſinè vera fide ſtare non poteſt ; & conſequenter eam penes nos eſſe, cum neceſſariò una aliqua Eccleſia vera debeat exiſtere. Nolo tamen hìc uti jure meo jam evi-

ćto, ſed in gratiam Proteſtantium omitto deductionem gravisſimæ conclusionis hujus, à qua nunquam ſe poſſunt expedire. Oſtendere poſſem etiam, enumerando ſigna omnia & notas veræ Eccleſiæ, eas patente Eccleſiæ noſtræ applicando, quòd noſtra ſit vera illa & unica Chriſti Eccleſia, & conſequenter omnes reliquæ aliud nihil ſint, quàm ſectæ diverſæ rebellium, qui nunquam reconciliantur niſi ut bellum gerant, contra ſupremam & legitimam poteſtatem, cujus jugum jam excuſſerunt. Non opus eſt hìc adhibere probationem iſtam, patebit enim tempore opportuno, ſecundúm principia ipſorummet Proteſtantium, in Diſſertatione de Vera Chriſti Eccleſia, ſolùm eo modo quem aliàs tenui, aſcendere libet usque ad tempora illa, in quibus omnes illi, qui ſeà nobis aliquando ſeparârunt, conſtat utrique parti, illos omnes fuiſſe unitos nobiscum in unitate fidei, priusquam propter ſententias & opiniones diverſas circa fidei articulos hodiedum controverſos; à nobis recesſiſſent. Dubitari nequit, Eccleſiam illam, quæ tunc exiſte

exiſtebat antequam definiviſſet aliquid de articulis controverſis, propter quos deinde facta eſt ſeparatio, fuiſſe veram Eccleſiam Chriſti; cùm eo tempore ipſa ſola in mundo, & unica fuerit.

Nunc igitur dico: hæc Eccleſia eſt regula illa certa & infallibilis, quam ſecuti ſumus, & quam hodiedum ſequimur, ad cognoſcendum & dignoſcendum id, quod DEus dixit: quia Ei infallibiliter aſſiſtit Spiritus Sanctus, qui nobis per illam loquitur; itá ut, ſicuti ſcriptura ſacra eſt Verbum DEI, quatenus quæ DEUS locutus eſt, & revelavit per Prophetas & Apoſtolos, hæc ab iſtis ſcriptò nobis relicta ſunt; ità hæc, quæ ab Eccleſia definiuntur, ſunt verum Verbum DEI, quatenus per illam ſe nobis explicat DEUS, ut ea, quæ locutus eſt, intelligamus. Hic illico Proteſtantes ſcire cupiunt, unde id ſciamus? ſi dicamus: è ſcriptura: ecce eundem, objicient, circulum vitioſum, quem nos illos exprobravimus: cum enim res hæc neutra per ſe ipſam cognoſci poſſit, & nos dum vellemus unam cognoſcere per alteram, ſcripturam videlicet per in-

fallibilitatem Eccleſiæ, & hanc in fallibilitatem per ſcripturam; aliud non eſſet, quàm reverti in circulum, & non progredi. Si dicamus; nos id ſcire alià vià ſimilis cujuſpiam authoritatis; redibit eorum interrogatio, unde hoc ſciamus; ſi per ſcripturam, vel aliam viam tertiam, eadem fiet objectio? & ſic eadem difficultas ſemper rediens premet nos ſinè fine, quamdiu non inveniemus aliquid, cui acquieſcat intellectus.

Ideo clarè hìc nobis reſpondendum eſt, & oſtendendum, quomodo certò cognoſcamus & ſciamus, quòd DEUS loquatur per Eccleſiam, & quidem diſcurſu plano, claro & ſinè circuitu, non per dura & avia diſcurrendo, aut in circulum eundo & redeundo, vel certè per vias abſtruſas, obſcuras & quaſi infinitas.

Certum eſt, quòd Eccleſia Chriſti fuerit in mundo ante ſcripturam novi teſtamenti; ſicut Eccleſia vetus Populi DEI exſtitit pluribus ſæculis priùs, quàm Moyſes & Prophetæ aliquid ſcriptò vulgâſſent. Hinc primi fideles Jeroſolymitani, Damaſceni, & Antiocheni, qui tunc primitivam

conſtitue-

conſtituebant Eccleſiam, non cognoverunt illam Eccleſiam per Evangelium aut per epiſtolas Sancti Pauli; Et ſi fides, quam ipſi ab Apoſtolis acceperunt per ſolam vivæ vocis prædicationem, per illos usque ad nos eâdem viâ perveniſſet, prout re ipſa fieri poterat, per diſcipulos Apoſtolorum, & per inſtructionem Parentum filiis datam & relictam; nos hoc noſtro tempore, æquè agnoſceremus eamdem Eccleſiam; prout ipſi agnoverunt, ſinè ſcriptura ſimiliter ſolùm ſupponendo, quòd hæc Eccleſia, quæ fuit ante ſeparationem, eadem nunc ſit Eccleſia, ùt conventum eſt, & conceſſum; ſcire poſſumus absque ſcriptura, quòd Eccleſia iſta ſit infallibilis, & DEUS per illam loquatur.

Ut bene capiatur hæc veritas, præſupponendum eſt, quòd ad actum fidei, quo credimus aliquem articulum ex motivo revelationis divinæ factæ per ſcripturam, & quòd DEUS illum revelaverit, ex eo, quia ipſe nos certos facit loquens nobis per Eccleſiam ſuam; ad eli-

ciendum, inquam, talem actum præter donum ſeu lumen ſupernaturale fidei & gratiam actualem neceſſariam ad operandum; requirantur etiam in humano intellectu, certæ diſpoſitiones, ipſum actum fidei præcedentes; quibus perſuademur & determinamur, etiam cum evidentia, ad credendum, excluſa omni dubitatione de locutione DEI. Neque enim DEUS exigit à nobis ut leviter, & ſtatim credamus, quidquid nobis proponitur, & quòd DEUS hoc vel illud loquatur, ſinè prævia ratione, quâ intellectus noſter flectatur & inclinetur ad credendum, clarè illi oſtendendo, quòd prudenter & rationabiliter credendum ſit.

Duab. Orat. contra Julian. In Pſ. 115. Contra Epiſt. Manichai. Hoc eſt illud, quod hæretici Manichæi & Philoſophi Pagani exprobrabant Chriſtianis inſultando eorum ſimplicitati, quam appellabant ſtupiditatem, ut teſtantur Patres, inter alios S. Gregorius Nazianzenus, S. Baſilius, & S. Auguſtinus; quòd iidem Patres, & Doctiſſimi Apologiſtæ Religionis Chriſtianæ, ùt Juſtinus Martyr, Tertullianus; Atha-

Athanagoras, Minutius Felix, Lactantius, S. Thomas & plures alii, magna cum eruditionis & eloquentiæ laude refutârunt; oſtenderuntque id non ſolùm non repugnare rationi, ſed neque à fide rejici poſſe, nisì quis oculis clauſis rationi evidenti renuntiet, nè lumen omnibus clariſſimum intueatur. Exigit à nobis DEUS obedientiam & ſubmiſſionem intellectus noſtri, quibus in ſervitutem fidei captivamur, ut cum S. Paulo loquar. Sed exigit hæc ut à nobis fiant rationabiliter, ùt inquit S. Petrus; & ità rationabiliter, ut voluerit plurimis rationibus intellectum humanum convinci, ad cognoſcendum clarè, quòd tantæ, tamque fundatæ authoritati ſubjicere nos debeamus. Valde magna diſtinctio facienda eſt, inter articulum v. g. Trinitatis, quem credimus ùt à DEO ipſo revelatum, & inter motivum, quo perſuademur, ità eſſe credendum, eumque à DEO, per organum Eccleſiæ ſuæ proponi. Primum eſt obſcurum; cùm ratio humana penetrare nequeat in arcanum hujus adorandi Myſterii, quod illam

illam infinito ſuperat exceſſu: alterum eſt manifeſtum & evidens. Hic ratio jus ſuum retinet, & lumen quô illuſtratur eſt adeò evidens, limpidum & efficax, ut ſinè voluntaria & affectata cæcitate poſſibile non ſit, non perſuaderi, & non induci ad credendum tam rationabiliter, & non cognoſcatur vox DEI loquentis, intellecta per vocem Eccleſiæ ſuæ.

In his, eodem modo ſe habet fides Divina, ac fides humana: quamvìs enim in fide Divina certitudo ſit longè major propter authoritatem loquentis; modus tamen, quo intellectus noſter utrobique operatur ex teſtimonio alterius, eſt perquam ſimilis. Quando mihi homo aliquis dicit quidpiam notabile, quod aliàs ignorabam, quamvìs certus ſim de locutione illius; non tamen ideò ſtatim credo, nisì priùs intellectus meus diſpoſitus ſit ad credendum. Video inprimis hominem eſſe intellectus perſpicacis & notæ probitatis, qui nihil loquitur, nisì priùs bene habuerit exploratum. Examino circumſtantias loci, temporis & per-

& perſonarum, utì etiam exempla præterita; & tum manifeſtè video, quòd ſi prudenter & ſecundùm rectam rationem operari velim, fidem dictis illius hominis adhibere debeam; ac tandem credo id, quod dixit, quia ipſe dixit. Tali caſu duo interveniunt in meo intellectu actus valde diverſi: primus eſt actus judicii, quo judico eſſe rationabiliter credendum; alter eſt ipſa fides, quam authoritati loquentis tribuo.

Similiter Chriſtus ſe ipſum manifeſtans mundo, tanquam DEI filium, non exigebat, ut Judæi viſo & audito illo, mox absque ratione crederent, Eum eſſe Meſſiam à Patre Cœleſti miſſum, qui eis ore ſuo loqueretur, & altiſſimas doceret veritates novæ legis, quæ erat lex gratiæ: idcirco diſponere ac præparare illos voluit ad hanc fidem, vitæ ſuæ ſanctitate, vi efficaci ſuæ prædicationis & magnitudine miraculorum: quæ omnia fuêre totidem rationum momenta, ex quibus evidenter concludere poterant & debebant, ùt multi fecerunt, quòd omnia, quæ dixit, vera & creden-

da

da ſint; & quòd per os Ejus loquatur DEUS. Poſtea verò, cum dixiſſet, ſe eſſe verè filium DEI, Patris ſui, cujus doctrinam annuntiabat, fide Divina credebant, quia ipſe dixit.

Apparuit hoc optimè in cœco nato. Admirabilis homo iſte poſt manifeſtum miraculum ſuæ ſanctitatis, dicebat Phariſæis, ſemper magìs & magìs obſtinatis in ſua cœcitate: *à ſæculo non eſt auditum*
Joan. 9. *&c. nisi hìc homo eſſet à DEO &c.* credendum ergo eſt, illum à DEO eſſe; & pariter omnia quæ facit, & quæ dicit provenire à DEO. Ecce miraculum: & facta ſuper illud reflexione per diſcurſum intellectualem, diſponebat hominem illum ad credendum, ſeu ad actum fidei; ex quo evidenter inferebat, credenda eſſe omnia, & à DEO provenire, quæ diceret. Poſt hæc interrogat eum Chriſtus, an crederet in Filium DEI? qui reſpondit, & quis es Domine ut credam? nondum enim noverat Eum. *Et dixit*

xit JESUS: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. Et ille ait: Credo Domine; *& procidens adoravit Eum:* Ecce quomodo per miraculum diſpoſitus fuerit ad credendum, quòd omnia quæ diceret Chriſtus, à DEO ſint: mox credidit eum eſſe Filium DEI; non jam propter miraculum, ſed propter ſermonem & loquelam Chriſti; & conſequenter, quia DEUS per Chriſtum id revelavit.

Mulier Samaritana venit, omnibus in Civitate Sichar dicens, ſe inveniſſe hominem, qui videtur eſſe Salvator Mundi, eô quòd ſui arcana cordis & vitæ ſuæ penetrâſſet. Illi de relatione tam mirabili diſſerentes, valde diſpoſiti eſſe videbantur ad credendum, illum hominem eſſe Meſſiam. Ad hoc ferebantur priùs motivô humanô, nempe narratione Mulieris, in materia valde ſenſibili, quam alioqui occultam tenere debuiſſet. At poſtquàm Chriſtum ipſum audiviſſent; tum enim verò crediderunt, illum eſſe mundi Redemptorem: *multò plures*

credi-

crediderunt in eum propter ſermonem Ejus; credideruntque actu Divinæ & ſupernaturalis fidei, quia ipſe dixit, non quia referebat Mulier; cui dixerunt: *quia jam non propter loquelam tuam credimus: ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.*

Sic nimirum Prophetæ circumferebant Verbum DEI, & in lege nova Apoſtoli mundum converterunt. Illi, ſe à DEO miſſos probarunt, priusquàm exigerent fidem dictis ſuis tanquam à DEO provenientibus: iſtis DEUM pro ſalute mundi Crucifixum prædicantibus, non ſtatim ſinè prævia ratione credebatur: diſponebant igitur animos hominum tum admirabili modo, quo altitudinem myſteriorum noſtrorum exponebant, tum miraculis, quæ patrabant, & quibus veritates, quas docebant, confirmabant. His perſuaſum eſt mundo, eos à DEO veniſſe, & per eos DEUM loqui. Demum homines credebant fide ſuper-

pernaturali & Divina propter Verbum ſeu revelationem ipſius DEI, quem per ſua organa loquentem ſe audire judicabant.

Idem jam dicendum eſt de Eccleſia. Non exigitur, ut ſtatim credatur, ſinè prævio rationabili motivo, quòd ipſa ſit infallibilis, & Spiritu Sancto animata, qui per eam loquitur, quando ipſa definit aliquid ſecundùm regulam & legem ſuam in rebus ad fidem ſpectantibus. Sed requiruntur in intellectu diſpoſitiones præviæ ad hoc credendum; illa nimirum fortia & potentia motiva, quæ intellectum præparent, eique perſuadeant, ùt fidem hanc amplectatur, oſtendantque evidenter, hìc & nunc eſſe credendum, ſi prudenter operari velit. Hæc motiva ſunt, authoritas humana Eccleſiæ, quæ ſinè dubio magni ponderis eſſe debet, ſi conſideretur ſolùm prout ipſa in ſe eſt, præſcindendo ab aſſiſtentia Spiritûs Sancti; item puritas, ſanctitas, virtus doctrinæ ipſius, & admiranda inſtitutio, qua fundata & firmata eſt in mundo, ſinè armis, ſinè arte, ſinè eloquen-

tia.

tia. Scientia tam multorum Doctorum, & conſenſus Patrum univerſalis omnium; fortitudo & conſtantia tot Martyrum, qui omnes vitam & ſanguinem profuderunt in defenſionem, ejus Doctrinæ; ſanctitas tot præſtantiſſimorum hominum, qui eandem Doctrinam propugnârunt, & numerus innumerabilis miraculorum, quæ patrata ſunt per orbem univerſum in illius confirmationem: lumen denique naturale, rectus intellectus, quæ oſtendunt evidenter, quòd ſi DEUS talem inſtituit Eccleſiam, quæ homines infallibiliter deducat ad ſalutem, neceſſariò etiam in hoc eam fecerit infallibilem; ut errare non poſſit in doctrina ad ſalutem neceſſaria. Alioqui poſſet, non ſalvare homines, ſed perdere: ex quo certè ſequitur, quòd DEUS non ſatìs providiſſet noſtræ ſaluti.

Motiva iſta non ſtatim oſtendunt, quòd hæc ſcriptura & non illa alia ſit verum Verbum DEI; & quòd in hoc, non verò in illo ſenſu intelligenda ſit: ſed omnia iſta motiva oſtendunt, hoc, mediante

Eccle-

Eccleſiâ ſeu per Eccleſiam; quatenus evidenter nobis perſuadent, quòd ſi prudenter & rationabiliter procedere velimus, credere debeamus, eam eſſe infallibilem, & quòd per eam velut per organum ſuum proprium nobis loquatur DEUS, quando ipſa, in materia fidei controverſa quidpiam definit.

Omnes Chriſtiani conſentiunt, quòd ex omnibus iſtis motivis, omnino ſit evidens, Religionem Chriſtianam eſſe amplectendam, & cæteras omnes reſpuendas; & conſequenter tenendum firmiter, quòd ſit de fide & conſtanter credendum tamquam fidei articulus, quidquid ipſa proponit tanquam fidei articulum ex ſolo motivo, quia DEUS dixit.

Nunc evidens quoque eſt, ex his quæ probavimus hactenus, quòd firmiter credere non poſſimus, hoc vel illud à DEO dictum eſſe, ſi nullam habeamus regulam certam & infallibilem, quæ nos de hac re certos & ſecuros faciat, qualis neceſſariò eſt Eccleſia, cùm id præſtare non poſſit, ſeu ſcriptura, ſeu Traditio,

ditio, ſeu Spiritus privatus, ùt ſupra vidimus. Evidens proinde iterum eſt, tum ex motivis jam allatis, tum ex ratione convincente naturali, quòd credere oporteat, Eccleſiam eſſe authoritatis infallibilis, & quòd per illam tamquam per organum & inſtrumentum ſuum nobis loquatur DEUS. Judicium iſtud evidens, quod ego formo virtute horum motivorum, inferendo, atque concludendo, quòd ſit prudenter credibile, imò etiam credendum; eſt diſpoſitio præcedens actum fidei; nec poteſt eſſe actus fidei Divinæ: quando autem Eccleſia decidit aliquid, v. g. hunc librum eſſe Canonicum, & ſacrum; vel hunc eſſe verum ſenſum hujus textûs ſcripturæ; credo quod hìc illa dicit, non propter aliquod motivum ex illis ſupra enumeratis; quæ mihi ſolùm humanitus perſuaſerunt, dignum & juſtum eſſe credere: ſed poſtea credo fide Divina, quia DEUS illud mihi per Eccleſiam dixit & revelavit. DEUS immediatè locutus eſt Prophetis & Apoſtolis, per quos etiam hodie nobis loquitur in ſcripturis:

pturis: ſic dum aliqua exoritur controverſia de ſcriptura, quæ complanari non poteſt, DEUS immediatè loquitur Eccleſiæ ſuæ, quæ ſe poteſt explicare, & ſic per illam loquitur hominibus, & ab illis intelligitur. Et hoc ipſum credo, non ob aliam ullam rationem, quæ eſt via quædam, ducens me ad hanc cognitionem, ſed unicè propterea, quòd deciſio Eccleſiæ, cum comitatu adeò magnifico tam gravium & evidentium motivorum, ſit loquela ipſius DEI, quem loquentem intelligimus per Ipſam. Solus enim DEUS loquens per alium poteſt hoc modo ſe explicare, per tot videlicet ſigna miranda, quæ non nisì ab ipſo ſolo emanare poſſunt. Quemadmodum contingit, quando ſolemniter promulgantur mandata & decreta Regia, primò quidem in ſupremo aliquo Tribunali, & ab hoc, toti populo: tum enim omnes ordines, ſtatus & Magiſtratus, illis ſe cum profunda veneratione ſubmittunt, quia Rex vel Imperator eſt, qui loquitur & mandat; & credunt omnes, quòd ipſe loquatur; non

ideo, quia hoc mihi affirmatur; ſe
quia ego illum audio loquentem
cùm hæc ſit Ejus conſuetudo ità lo
quendi; & nullus nisì ſolus Re
hôc modô ſua ſenſa exprimere ſo
let, quando loquitur, non quidem
immediatè, ſed per ſuum Tribunal
quod Regem in tali caſu repræſen
tat.

Ex his facilè ac citra hæſitatio
nem patet, nullum progreſſum in
infinitum, neque circulum vitioſum
eſſe in noſtro diſcurſu, ad cogno
ſcendum id, quod DEUS dicit.
Quando mihi noſtræ fidei articulus
proponitur v. g. de Trinitate: cre
do illum, quia DEUS in ſcripturis
illum dixit, quas Apoſtoli nobis re
liquerunt; credo etiam hanc ſcriptu
ram eſſe Divinam, quia ipſe DEUS
hoc dicit per Eccleſiam ſuam; &
credo quòd hoc dixerit, & quòd
hoc ſit Ejus Verbum, audio; non
propter ullam aliam rationem, quàm
propter ipſum Verbum DEI, quod
audio: cùm iſte ſit mos DEI lo
quentis, & ſenſa ſua exprimenti
per alium, ùt fit in præſenti. Adeo
que credo, quòd ipſe dixerit, quia

1.Tim.3. hæc ſit verè Verbum DEI. Poſtea
Matth. demum invenio in hac ſcriptura,
16. quòd Eccleſia ſit columna & firma-
Matth. mentum veritatis, & quòd portæ
ult. inferi non prævalebunt adversùs
Joan. 14. Eam; Eique Chriſtus promiſerit, tum aſſiſtentiam ſuam usque ad conſummationem ſæculi, tum Spiritum Sanctum, ut cum ea maneat in æternùm. Rurſus credo illam eſſe infallibilem, quod aliâ planè ratione cognoſco, quàm priùs, ex motivo penitus diverſo, quàm antea: in quo ſecundùm omnes ſapientes, nullus eſt circulus vitioſus, ſed nova ejusdem rei cognitio per aliam viam, aliamque lucem accepta.

Ecce regulam infallibilem ad quam tandem omnibus deveniendum eſt, & in qua ſiſtit intellectus, quin ultra progrediatur, quando agitur de cognitione certa & infallibili de vero Verbo DEI & vero ſenſu Ejus diſcernendo à falſo. Hæc eſt authoritas illa infallibilis, quam Chriſtus principaliter inſtituit in hunc finem; ad quam Sancti Patres ſemper ſuum habebant recurſum, ut ſe

certos redderent de veritate ſcripturæ & intelligentia ipſius. Hâc viâ S. Auguſtinus reduxit in extremas anguſtias Manichæum quemdam, adigendo eum vel ad renuntiandum Evangelio, vel ad agnoſcendam infallibilitatem Eccleſiæ, à qua habemus Evangelium. Elige, inquiebat, utram volueris partium, quas tibi offero. Vis ut credam Eccleſiæ Catholicæ? neceſſe igitur erit, ut te rejiciam, cùm ipſa prohibeat, tibi fidem dare. Non vis, ut Ejus deferam authoritati? & credam ùt certum, quod dicit? At hoc ipſo invanum ſatagis mihi perſuadere doctrinam tuam, per Evángelium. Hoc enim quòd credam Evangelium, habeo ab Eccleſia. Ego verò, addit S. Doctor, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ authoritas commoveret;* quâ infirmatâ, jam nec Evangelio credere potero. Hac etiam ratione Tertullianus agnoſcit Evangelium S. Lucæ pro ſcriptura ſacra contra Marcionem, quia, inquit, receptum eſt ab Eccleſiis per

Contra Epiſt. Manich. c. 5.

Apoſtolos fundatis, & ab alijs omn bus, quæ illis vinculo fidei & ſa cramenti ejusdem unita ſunt. Han ob cauſam S. Cyrillus Jeroſolymita nus, inſtruens quemdam Chriſtia num, dixit: ſedulò diſce qui ſint libr ſacri utriusque teſtamenti, & paul poſt: Tu qui es Eccleſiæ proles, n transgrediaris Ejus leges & diſpoſitio nes.

Denique nè longum texamus Ca talogum Patrum & Doctorum San ctorum; in hoc eodem Spiritu & ſenſu, nos edocet, Vincentius Le riñenſes, qui ſub initium quinti ſæ culi floruit, & præ cæteris ex actiùs explicuit regulas fidei, pro noſtra inſtructione, dicitque quòd magnâ curâ ſtuduerit erudiri atque inſtrui à Viris ſuo tempore peritiſſi mis celeberrimisque à Doctrina & Sanctitate, ut diſceret, quô me dio, quâve regulâ certâ & generali tutò certóque diſcernere poſſet veri tatem fidei Catholicæ à falſitate & ab erroribus hæreſum; habueritque conſtanter eandem reſponſionem, videlicet; ſi quis voluerit depre hendere fraudes & deceptionés hæ retico-

Apud illos jam non ſolas, ſed univerſas quæ illi de Societate Sacramenti confœderantur Tertull. l. 4. controv. Marc. C. 15.
Catech. 4 Φιλομαθῶς ἐπιγνῶθι ω- λάτης Ἐκκλησί &c. &c.

[...]eticorum, vitare laqueos eorum, [...]equi in puritate fidei cuſtodire? [...]*uplici modo fidem ſuam Do-* *De Catholicæ fid. antiqu. C. 1.* *mino adjuvante debere; pri-mò quidem Divinæ legis au-thoritate, deinde Eccleſiæ Ca-tholicæ Traditione.* Quòd ſi quæ-ratur, inquit, cur hæc ſecunda regu-la prima ſit addenda, authoritas vi-delicet Eccleſiæ authoritati ſcripturæ ſacræ? reſpondeo, quia ſcriptura propter ſuam profunditatem non ſemper in uno eodémque ſenſu ac-cipitur, & ejus verba exponuntur ſecundùm diverſitatem intellectuum humanorum, ità ut totidem de eâ ſint ſententiæ, quo capita; quod oſtendit enumerando præcipuos uſ-que ad Neſtorium Hæreticos, cujus tempore & occaſione ſcriberent, Poſt hæc addit. *atque adeò mul-tùm neceſſarium eſt propter tantos, tam varij erroris an-fractus; Prophetiæ & Apoſto-licæ interpretationis lineaſe-cundùm Eccleſiaſtici & Ca-* C. 2.

 tholi-

tholici ſenſus normam dirigatur. Clariúsne aliquid dici vel inveniri poteſt?

Certè Verbum DEI, quod in ſcripturis habemus, lampas eſt admirabilis, cujus flamma clariſſima & ſplendidiſſima eſt utique ſufficiens ad nos illuſtrandos, dirigendos, & ad oſtendendam viam, quâ nobis incedendum eſt, ut ad terminum ſalutis perveniamus. Sic eam appellat Pſalmiſta. Ut autem nos illuminet, maximopere ſinè dubio refert, eam collocari, prout oportet, ut id nobis officium præſtet, ſi lampas ponatur ſub modio, ùt inquit Evangelium; tametſi luceat, & ſplendeat, id non prodeſt oculis noſtris, qui propter ea non deſinunt manere in tenebris. Ponenda ergo eſt ſuper candelabrum, ut ſublatis obſtaculis, liberè ad omnem partem lumen ſuum diffundat; & ità facilè illuminabit omnes, qui in domo ſunt, Si Vos explicatis ſcripturam pro libito veſtro, eam intà Vos ipſos obſconditis, interpretando eam juxta veſtram perſuaſionem internam, concluditis eam intrà

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Pſ. 118.

Nemo accendit lucernam & in obſcondito ponit néque ſub modio, ſed ſuper candelabrum. Matth 5.

trà menſuram & modium intellectus veſtri, qui eam in eo ſenſu accipit, qui vobis ad finem propoſitum magis commodus videtur: eſt illa ſub anguſto modio veſtri privati judicij & opinionis: etiamſi continuè luceat, ac fulgeat, in ſe ipſa, nequit tamen illuminare vos aut alios in ſimili ſtatu poſitos, cùm nihil certi habeatis in toto veſtro negotio. Vos tam facilè decipi poteſtis, ac alius, qui vobis contradicit, & ipſe opponere poteſt judicium ſuum veſtro, quamvis eandem viam vobiscum ſequatur: adhuc in tenebris veſtræ incertitudinis & fluctuationis hæretis. Lampas iſta ſcripturæ ſacræ altiùs elevari debet, ſuper candelabrum authoritatis infallibilis Eccleſiæ, quæ nobis illam oſtendet, & verum ſenſum aperiet, facietque *ut luceat omnibus qui in domo ſunt*: ùt eleganter obſervat S. Ambroſius, qui hoc modo explicat ſimilitudinem Salvatoris; ut nimirum perfectè, absque ullis tenebris incertitudinis & dubitationis illuminet fideles omnes, qui ſimul in Domo In Pſ. 118.

DEI ſunt, quæ eſt Eccleſia. Nemo eſt, qui ab ea lumen non accipiat; lucet æquè ſapientibus ac ignorantibus. Quisque minimus Chriſtianus credens quòd omne id, quod ab Eccleſia provenit, à DEO proveniat; ſecurus ac certus eſt, quòd ea DEUS dixerit, quando credit id, quod Ei ab authoritate Eccleſiæ proponitur, Eique proprium ſuum ſubjicit judicium, ut cum Ea unam eamdémque habeat fidem, unam eamdemque ſententiam.

Habemus ergo certam & infallibilem regulam ſeu normam ad ſciendum certò ac infallibiliter in omni controverſia occurrente, ubi & quòd ſit Verbum DEI, & quid in ſenſu vero dicat, de re, de qua controvertitur; qualem nulla alia humana ſocietas vel cœtus hominum habet vel habere poteſt, qui ſe à nobis ſepararunt. quod in hac diſſertatione ſatìs manifeſtè oſtendi. Nunc aliud non reſtat, niſi ut reſpondeamus, ad ea, quæ de hoc argumento ſcripſit Dominus Claudius, occaſione ſuæ reſponſionis ad librum Dni. Arnauldi

pro

pro defenſione Perpetuitatis, de fide circa Euchariſtiam.

CAPUT. XV.

Reſpondetur ad objecta Proteſtantium.

TAndem evenit, quod alibi prædixi, de diſputatione inter Proteſtantes, Dominum Arnauldum & Dominum Claudium: eorum diſputatio eamdem ſubijt ſortem, quam pleræque aliæ, quæ ſolent eſſe perpetuæ. Miniſter iſte, D. Claudius prodijt ſuperiori ſæculo in campum, prægrandi armatus volumine in lucem edito: parum ſpei effulgebat, jam tum ut ævo noſtro fineretur hoc bellum adeò obſtinatum: ſequitur lento greſſu authorem ſuum, & cum eo percurrit omnes Cætus Orientales; conaturque in ſuum trahere ſuffragium Græcos omnes ab undecimo, imò à ſeptimo ſæculo, usque ad ſua tempora ſæculi hinc ſecundi Recens & inter ſuos, vel ſaltèm facit indifferentes & neutrales, quos Ejus adverſarius ſibi adſcribit, Neſtoria-

Diſſertat. Pacifi. 1.

nos, Maronitas, Cophtes, Jacobitas, Æthiopes, Moſcovitas & Armenos: in omnibus ſe illi opponit; controvertit Patres omnes ſeptimi & octavi ſæculi. Invehitur contrà Paſchaſium: impetit authores noſtri temporis, eóſque armat contra hunc Novatorem. Adhibet novam Hiſtoriam, Grammaticam, Dialecticam & ſexcenta argumenta, fundata in privatorum commodis, in politica Imperatorum Græcorum, in technis ſectarum & factionum, in artificijs Miſſiönariorum, in ignorantia orienralium, & in plurimis aliis conſiderationibus, quas animus diſputationis pruritu accenſus facilè ſolet excogitare. Denique tuetur & propugnat omnia, quæ Dominus Arnauldus ei negat, negàtque rotundè omnia quæ aſſerit & probat de miſeris illis in oriente Chriſtianis, ità ut videatur, nullam fuiſſe controverſiam vel magìs prolixam, vel magis implicatam & faſtidioſam.

Gaudendum ſanè putabam, quòd iſta diſputatio tandem facta ſit perſonalis, ex qua proinde parum detrimenti paſſura ſit Eccleſia. Nam vel omnes

omnes illi orientales tenuerunt fidem Eccleſiæ Catholicæ de Euchariſtia, ùt aſſerit Dominus Arnauldus, vel non tenuerunt, ùt vult Claudius. ſi tenuerunt; ergo evidens eſt, quòd Proteſtantibus, ſaltèm nihil proſit, nobisque nihil obeſſe poſſit. Semper enim ità factum eſt, quòd homines, qui ſe à nobis ſegregârunt, nunquam potuerint nos in minimo convincere falſitatis, quam ſucceſſu temporis tam manifeſtâ & perpetua Traditione acceptam, nobis non controvertiſſent. Si autem non tenuerunt fidem noſtram, eo ipſo nihil perdit Eccleſia ex miſeranda illorum deſertione, qui ſe clauſis oculis præcipites egerunt in errores; quos nec ipſi Proteſtantes poſſunt tolerare. Nec mirum videri debet, quòd homines illi, qui fidei antiquæ Eccleſiæ Græcæ renuntiaverunt, de Divinitate Spiritus Sancti, & de SacroSancta Perſona Chriſti, etiam deſeruerint fidem antiquam de Euchariſtia, illis nempe temporibus, quibus, teſte Domino Claudio, homines erant valde brutales & ignorantes. Quid enim intereſt Religionis, *Lib.2.C.1.*

ſcire, quod hæretici, absque ſtudio, âbsque doctrina, traditi ſint, ùt hic Miniſter fatetur, in poteſtatem infirmorum ſuorum Imperatorum, &, quod horribilius eſt, effrænatis paſſionibus ſuis, obſtinationi, & reprobo ſuo proprióque ſenſui; quid inquam noſtrâ intereſt nôſſe, quid ſentiant vel non ſentiant homines tales de auguſtiſſimis noſtris myſterijs? quòd de illis diſputetur. Tolerari poteſt, ut Viri docti exerceantur ad illuſtrandam Hiſtoriam & oſtendendam Chriſim in diſcuſione textuum, quos allegant authores Græci & Latini & ſive lucrum habeat inde aliquod pars hæc vel illa, ſive non habeat in ſimili cauſa; Religio certè nullum pati detrimentum poteſt; cùm hæc, libera ſit & immunis à legibus hujusmodi Chriſis, néque ſubjecta ſit ſorti dubiæ talium bellorum: ſed eſt firmata & fundata in ſolidiſſima baſi principiorum & dogmatum robuſtiſſimorum, quorum ductu agit & operatur.

Ut veritatem fatear, etiamſi liber Domini Claudij nocere poſſet, ijs, qui ſe ab ingenij levitate abripi ſinerent;

non

non tamen id periculi ſubeſſe credo, ut id eveniat : nam infauſtus iſte diſputandi ardor, ſenſim hujus farinæ homines deducit ex altercatione una in aliam, in vias de vias, & in plurimos labyrinthos, & conſequenter ejusmodi libros, reddere ſolet, prolixos, intricatos, & faſtidioſos, ità ut nemo animum inducat, ad eos conſideratè perlegendos. Tota gratia; quæ illis fieri poteſt, & quandoque ſolet, eſt, quòd obiter & feſtinanter percurrantur, & aliquatenus ſciatur, quid velint, quin eos animô tranquillô & peccatô libeat ex toto examinare. Porrò tametſi, nihil proſit, ùt dixi, Cauſæ Religionis & Eccleſiæ, ſcire, quid ſenſerint hi vel illi ſchismatici, qui tam apertè deſciverunt ab Eccleſia & vera fide; in qua fuerunt, Cyrilli, Chriſoſtomi, Baſilij & Gregorij, videtur tamen velle defendere Dominus Claudius id, quod in libro 4. ſui operis aſſeruit, de ſenſu illorum ſemi-Chriſtianorum Orientalium, quaſi diſſipaturus nova luce tenebras tot illuſionum, quas Ei inſpergit Adverſarius. Quare illi relinquo gloriam iſtam, quam non deſidero

deſidero; tantiſper libet ſubſiſtere in ijs, quæ Dominus Claudius velut per tranſennam, dixit, & quantum neceſſe erit rem ſuam, de veritate, quam hìc tractamus.

Ut autem ejus methodo me accommodem, quam putat exactè ſequendam eſſe, ab eo, qui eum impugnat; referam fideliter propria ejus verba, cum aliqua mea reflexione deſuper facta. Primo in ſua Præfatione, loquens de varijs methodis, quæ occaſione ipſius libri in lucem venerunt, contra authorem Perpetuitatis, mentem ſuam ſequentibus: *Methodus cujusdam Catholici Romana eſt iniqua, in eo quod velit deciſiones Conciliorum eſſe Præſcriptiones contra nos, immemor, quòd nihil præſcribere poſſit contra veritatem, præſertim ubi de ſalute agitur: & cum definitiones Conciliorum, juxta nos, nullius ſint momenti, niſi quatenus conſonant Scripturæ ſacræ*

ſacræ & principiis Chriſtianæ Religionis; non poteſt via illa eſſe rationabilis, vel utillis ad dedicendas controverſias partium, in quas dividimur, præter hanc unicam, quâ res ex fundamento examinentur, ut ità conſtet, an eis inſit confirmitas illa cum ſcripturis ſacris, quam neceſſariam eſſe ſupponimus. Hæc eſt via, quâ nos impetit Dominus Claudius.

Ut ſinè magnis ambagibus diſtinquam id, de quo potiſſimùm agimus, ab alijs huc non pertinentibus, & extra Controverſiam poſitis, declaro me Domino Claudio, quòd memor ſim antiquæ Tertullianæ ſententiæ omnibus notiſſimæ, quòd nihil præſcribere poſſit adverſùs veritatem, præſertim ubi de ſalute agitur. Imò Ei concedo veritatem iſtam inveniri non poſſe, niſi inperfecta confirmitate cum Verbo DEI, & cum principijs Religionis Chriſtianæ, ſinè qua, juxta nos & juxta ipſum, decreta Conciliorum nullius eſſent momenti.

Nunc

Nunc agimus, ut ſciamus, ubi conſirmitas iſta inveniatur, & quænam talis ſit ex doctrinis controverſis, quas unaquæque pars vult eſſe conformes ſcripturæ & vero ſenſui ejus. Conſentio illi etiam, quòd nequeat eſſe via legitima & utilis ad dedicendas particulares & privatas Controverſias, quibus ſeparamur, niſi ex fundamento examinetur res controverſa, & conſtet, an conformitas iſta, quam quærimus, & neceſſariam ſupponimus, in ea re ſit vel non ſit. Hæc requiſita, quæ exigit, lubens Ei concedo. Ut non de his noſtra procedit quæſtio. Unicum quod quærimus, & ad quod cætera omnia reducuntur, eſt, ut ſciamus, ad quem pertineat examinare atque diſcutere, ac demum decidere, quænam ſit doctrina conformis Verbo DEI, ut tandem lis definiatur.

Qua in re non recedam, à ratione mea, quam hactenus in ſcribendo tenui, per humana, & Civili. Ad eum proinde me converto & dico. Magna eſt differentia inter nos & ipſos in ordine ad deprehendam conformitatem cum Verbo DEI, an ſit vel non ſit in

doctrina

doctrina quam profitemur de Euchariſtia: ſi exigeremus deciſionem iſtam, unius alicujus è noſtris, juſtè reclamaretur. Si judices vellemus privata cujuſpiam electione conſtitui; ſuſpecti eſſe poſſent: ſi alios ad arbitros appellaremus, nobis & vobis ignotos: tanti momenti, utpote ſalutis æternæ cauſa, illis jure confidi non deberet, judicanda, qui omni charactere ac poteſtate legitima, ad rite judicandum ſunt deſtitui. Ad dum nos appellamus ad eos, quos ipſe adverſarius pro judicibus elegit, & jure jurando promiſit ſe judicium eorum ſecuturum, ex fiducia, quam in probitate illorum habet, & poteſtate à DEO éis collata; adhúcne noſtra procedendi ratio & via, erit iniqua? an non potius fatendum, eam eſſe prorſus ingenuam, honeſtam, & officioſam? At hoc eſt quod facimus, in materia de Euchariſtia.

Nos pro judice controverſiarum noſtrarum de conformitate dogmatis cum Verbo DEI, accipimus Eccleſiam illam, in qua duæ partes controvertentes fuerunt, & quam ambæ pro vera Eccleſia agnoverunt, Ejúsque deciſiones

ciſiones amplectendas eſſe ſub pœna ſchiſmatis & infidelitatis incurrenda. Neque iſta producimus (quæ Adverſarius vel obliviſcitur, vel diſſimulat.) ex privata noſtrorum Doctorum authoritate, ſed ex Decretis & deciſionibus clariſſimis & expreſſis, famoſæ ſynodi Dordracenſis, ad quam omnes Eccleſiæ Proteſtantes, quæ in eorum communione per totam Europam fuerunt, ſuos miſerunt deputatos. Arminiani defendebant ſuam doctrinam quinque articulorum, tamquam adæquatè conformem Scripturæ ſacræ, cujus teſtimonia allegabant, opinione ipſorum clara & deciſiva; Judicium tamen Eccleſiæ ſuæ per ſynodum illam repræſentatæ, detrectarunt? cô quòd ipſi judicaverint, ſe apertiſſimam videre hanc conformitatem doctrinæ ſuæ, quam ex fundamento diſcuſſerunt atque examinarunt. Nihìlominus tamen omnes Eccleſiarum deputati concludebant, ad ſynodum pertinere judicium de conformitate; illa: quæ utrinque ùt neceſſaria ſupponebatur. Jacobus Rex, qui ad ſynodum illam ſuos ex Anglia miſerat Theologos, *proteſtatus eſt, quòd ad termi-*

terminandas has controverſias, unicum ſupereſſet medium, quô Eccleſia ſemper uſa eſt, nempe ſinodus nationalis, quæ debet eſſe Judex in cauſa iſta, ad decidendum, utra duarum opinionum magis conformis ſit Verbo DEI. Ecce punctum ſubſtantiale, de quo agebatur, & quod in ſynodo judicabatur.

Novit Dominus Claudius, & ſaltèm nôſſè deberet, quòd omnes Theologi omnium Eccleſiarum exterarum, idem conſtanter aſſeruerint, iſta quoque ſynodus Delphtica definiverit, omnes in conſcientia obligari ad ſequendam hanc deciſionem; Novit etiam, quòd Genevenſes proteſtati fuerint, hanc diſpoſitionem & ordinationem ab ipſo Chriſto Domino conſtitutam eſſe, qui eam exemplo Apoſtolorum ſanctificavit, & uſu perpetuô Eccleſiæ confirmavit, ſecundúm Evangelii doctrinam, quòd ille, qui Ei ſe ſubmittere renuit, ſit pro infideli habendus. Cum ergo Arminiani perſtiterint in propoſito ſuo, judicio iſti ſe non ſubmittendi; eo ipſo ſe à communione

munione Eccleſiæ, quam pro vera tenuerunt, reſciſſos declararunt. Novit denique quòd ſynodus Dordracenſis, poſtquàm decreviſſet, judicaturam ſe omnia ſecundùm Verbum DEI, quod pro certa & infallibili regula fidei aſſumpſit; definiverit, ſynodum eſſe judicem legitimum in cauſa illa, in qua determinandum, an dogmata Arminianorum eſſent conformia ſcripturæ ſacræ: & licèt clamâſſent, ſtare pro doctrina ſua ſcripturam, prout ſemper omnes dicunt hæretici; nihilominus definitum fuit, obligari eos ad ſubmittendum ſuum judicium proprium, judicio & ſententiæ ſynodi, cujus ſolius ſuprema authoritas pronuntiare judicialiter poteſt & debet, an conformitas iſta inveniatur in doctrina, quæ examinatur.

Seſſ. 17.

Seſſ. 26.

Non igitur nos exigimus hìc aliud, quàm quod à ſynodo Dordracenſi definitum eſt. At. *tota doctrina tradita & deciſa à Concilio Dordracenſi*, ùt loquuntur Domini Proteſtantes, fuit ſolemniter approbata & recepta tamquam ſum-

mè

mè conformis Verbo DEI per omnes Eccleſias reformatas Galliæ, in ſua ſynodo Nationali Alecii celebrata: ubi Dominus Claudius in conſpectu DEI jurare debuit, quòd eam tueri velit usque ad extremum vitæ ſpiritum, juxta formulam juramenti, ſynodo illi oblatam; ità ut ſi huic decreto ſe noluiſſet ſubſcribere, periculum incurriſſet reſciſſionis ab Eccleſia & privationis Miniſterii, prout apertè habetur in actis ejusdem ſynodi. Eſt itaque omnino evidens, & extra omnem contradictionem, id quod dicimus, deciſiones videlicet Conciliorum Eccleſiam repræſentantium, in qua vivitur, & quæ pro vera agnoſcitur, ſolidas eſſe præſcriptiones, contra quoscunque aliter ſentientes. Neque peto hìc aliud à Proteſtantibus, quàm quod ipſi exigendum eſſe judicârunt ab omnibus ſuis aſſeclis, quodque illis maximè cordi & curæ eſt, tamquam principium immobile Religionis. Ex his, credo, quòd Dominus Claudius tandem fateri cogatur, quòd ratio procedendi noſtra, nequeat eſſe iniqua, dum ab eo exigimus, id, quod ipſi

ipſi viſum eſt tam pulchrum, tam utile, tamque neceſſarium, ut jurejurando promiſerit DEO, quod ſaltèm voto æquivalet, ſe illud inviolabiliter usque ad mortem obſervaturum.

Præter hoc; *cùm haberi nequeat*, juxta Ipſum, *medium rationabile, vel utile ad decidendas controverſias, quæ nos dividunt, quàm ut res examinetur ex fundamento, ad cognoſcendum, an conformitas, quam ſupponimus neceſſariam, in ea ſit vel non ſit;* & ſimul neceſſarium ſit, ut aliquis hoc examen ex fundamento inſtituat; edicat amabò, pacatè, tanquam Vir honeſtus, omni ſepoſita præoccupatione & privato affectu: an unquam ſibi perſuaſerit, quòd vel ad me, vel ad Ipſum; aut ad quemlibet alium privatum; vel etiam ad plures ſimul privatos, in aliqua ordinata conferentia, pertineat decidere, quid ſit vel non ſit conforme vero ſenſui ſcri-

ſcriptura? ſi enim dicat, id ad plures privatos in amicabili aliqua conferentia collectos pertinere, ut nimirum de tanto rei momento judicent; quanto majore jure dicendum erit, pertinere hoc ad veram Eccleſiam? quæ in Concilio ex Paſtoribus & Doctoribus deputatis authoritate publica Eccleſiarum particularium conflatum, ubi omnes ſe declarant, quòd exactiſſimè ſequi velint in rebus examinandis ſcripturam ſacram tanquam regulam fidei. Si autem Dominus Claudius cenſeret, ſe & v. g. me, habere ſimul authoritatem dijudicandi & decidendi, an judicium & ſententia Concilii ſit conformis ſcripturæ ſacræ; ità ut Concilium totum non habeat hanc authoritatem definiendi, an doctrina noſtra iſtam habeat conformitatem cum ſcriptura ſacra vel non habeat: eô ipsô, noſtræ deciſiones erunt præſcriptiones contra Concilia, & deciſiones Conciliorum non erunt præſcriptiones contra nos. Nolim eſſe tam injuſtus, ut credam, quòd Dominus Claudius ſit tam iniquus, & rem adeò

exorbitantem & injuſtam vel aſſerat, vel etiam cogitet.

Si demum dicat, ad evitandam confuſionem ex propoſitione tam irrationabili imminentem, eſſe poteſtatem unicuique privato de ſimilibus judicandi, & quemlibet ſibi eſſe judicem, *præſertim ubi de ſalute ſua agitur*: hoc aliud non eſt, quàm declinare unum ſcopulum, & in alium impingere, atque in aliud prolabi extremum. Peto enim, an judicium hujus particularis hominis ſit *unica illa via rationabilis & utilis ad terminandas controverſias, quæ nos dividunt?* ſi non eſt; alia ergo eſt inquirenda; cùm in illa priore non reperiatur, quod quærit Dominus Claudius. Si eſt: jam eô ipſo concludendum eſt, quòd iſte vir honeſtus privatus, bonus fortè lapicida, qui de ſua ſalute æquè ac alius debet ſatagere, habebit ſupremam authoritatem, qualem tota Eccleſia habere non poteſt; & quòd deciſiones iſtius egregii hominis ſint præſcriptiones contra Eccleſiam, ità ut

ut deciſiones Eccleſiæ nunquam poſſint eſſe præſcriptiones contra ipſum. Magnâ profectò audaciâ opus eſſet, ut ſe quiſpiam Vir honoratus, tali aſſertione exponat indignationi eorum, qui hujusmodi exorbitantiam audirent, & ſinè dubio ad eam caſtigandam incitarentur.

Ampliùs reſtat quærendum ex Domino Claudio: nempe an particularis homo ille, examinando conformitatem cum Verbo DEI cujuspiam dogmatis, operetur juxta ſenſum ſuum proprium, & lumen rationis quo dirigitur; vel certè per illuſtrationem & impreſſionem aliquam Spiritus Sancti manducentis illum, ad ferendam in re tanti ponderis ſententiam? Si id fieri dicatur per impulſum internum Spiritus Sancti; jam eô ipsô revertimur ad Spiritum privatum: cujus illuſionem alibi oſtendimus; ut non putem Ei Dominum Claudium velle adhærere. Si autem hoc fit ex proprio ſenſu, & ex ſpecioſa illa luce, quam appellat rationem; cùm hæc in quolibet homine privato ſit maximè obnoxia errori, ut nihil dicam de aliis, qui

non putant ſe teneri ad deferendum aliquid tali exiſtimato lumini rationis, multò minùs ad acceptandum pro ſolida præſcriptione: quomodò ſecurus erit ille ipſe, quòd non decipiatur, & non erret? Quomodo ſciet, quòd hæc vel illa doctrina, quam naturalis ratio ipſius dictat eſſe conformem Verbo DEI, ſit re ipſa talis? quomodo certus erit certitudine infallibili, prout neceſſarium eſſe oſtendimus ad habendam fidem ſupernaturalem & verè Divinam; ſe habere verum ſcripturæ ſenſum, de quo controvertitur? In veritate, ſimilia velle tenere atque tueri, tanta eſſet ineptia, ut non putem ullum ex Proteſtantibus non malo aliàs intellectu præditum, velle iis inſiſtere. Quibus porrò immorari nec mihi libet. Progredior jam ad deducendas, quæ ex hactenus in præſenti pacifica Diſſertatione ſtabilitis veritatibus, connaturaliter & planè deſcendunt conſequentias: prima eſt: quòd Proteſtantes nihil penitus habeant, quo certi & ſecuri ſint de myſteriis à DEO revelatis. Secunda: quòd nos Catholici habea-

beamus hanc certitudinem infallibilem in Authoritate Eccleſiæ.

CAPUT XVI.

Ex veritatibus probatis deducuntur concluſiones.

BEne ſtabilitis principiis, quibus utendum eſt in aliqua diſſertatione ad eruendam veritatem quæſitam, facillimum eſt, ex iis deducere concluſiones & conſequentias, quæ in illis continebantur; ità ut ſe ipſis pateant & ſua ſponte defluant, velut fructus ex arbore aut ex fonte rivi, & effectus naturales ex ſuis cauſis neceſſariis: nunc igitur facilè concludo, quæ in propoſito habui; cùm aliud non requiratur, quàm recipere, quæ ſe nobis offerunt ex noſtris principiis.

Concludo Primo: quòd omnes humanæ ſocietates, quæ ſe à nobis ſeparârunt, nullô pactô habeant fidem Divinam & ſupernaturalem; & conſequenter dicere non poſſint, ſe habere aliquam ſocietatem vero-

rum Chriſtianorum, niſi ad nos revertantur. Ratio eſt manifeſta. Nam habere fidem Divinam eſt credere infallibiliter aliquem articulum, quia DEUS illum dixit ſeu revelavit. Sic autem credere nemo poteſt, ſinè aliqua regula certa & infallibili, qua certus fiat, quòd DEUS illum articulum dixerit. Separati autem à nobis neutrum habent: quia nullam habent regulam, certam & infallibilem; neque ſcripturam, neque Traditionem, neque Eccleſiam, neque ſpiritum privatum; prout ſupra demonſtratum eſt: nec aliud quidquam excogitari poteſt. Aliunde certum eſt, quòd nos utrumque habeamus; cùm omnes penitus conſentiant, nemine excepto, neceſſariò dari unam aliquam talem regulam: hæc autem nequit eſſe ſcriptura; neque Traditio, ùt, quæ juxta adverſarios nunquam probari poteſt, neque perſuaſio interior Spiritus privati, qui nihil certi, nihil univerſalis habet. Reſtat ergo hanc regulam eſſe Eccleſiam; quæ eſt propriè illa regula quam nos tenemus & ſequimur. Nos enim

enim Eccleſiæ adhærendo, in qua priùs fuère omnes, qui poſtea ſeparati abierunt, quia eam faventem ſuæ doctrinæ non invenerunt; ſumus certi, quòd ſit unica, & conſequenter nequeat eſſe nisì vera Eccleſia: dubitare etiam non poſſumus de illius infallibilitate, recipimusque omnes ejus deciſiones, tanquam Ipſius DEI oracula, qui per illam nobis loquitur; ità ut etiamſi nobiſcum ſeparati à nobis credant omnes articulos ſymboli, non tamen eos credunt, ſicut nos credimus, nempe fide ſupernaturali & Divina: & idcirco etiam non ſumus in eadem cum illis fide atque ſocietate. Illorum fides merè humana eſt, noſtra verò Divina: illi credunt ùt homines, nos ùt Chriſtiani. Illi credunt, quod DEUS dixit, ſed cum incertitudine an DEUS dixerit, nempe ſinè omni teſtimonio infallibili de Verbo DEI, adeoque obnoxii ſunt errori. Nos credimus, quod DEUS dixit, quin de hoc ipſo quòd DEUS dixerit, falli poſſimus; cùm DEUS ipſe per Eccleſiam ſuam de hoc nos reddat certiſſimos & ſecuriſſimos.

Illi in Baptiſmo acceperunt principium & donum ſupernaturale fidei; ſed quod in eis operari nequit defectu motivi neceſſarii ad credendum beneficiô hujus doni Cœleſtis & ſupernaturalis: neque illis quidquam propoſitum eſt ad credendum authoritate alicujus regulæ, quæ ſit apud ipſos infallibilis. Nullo proinde modo ſunt in ſuis articulis certi, firmi & ſecuri; ſimiles ædificio poſito in fundamento ruinoſo, quod corruit ſe ipſo. Hinc manifeſtè ſequitur, quòd, ſi volunt eſſe veri Chriſtiani & fideles, neceſſarium ſit, ut ad eam Eccleſiam revertantur, ex qua Majores eorum receſſerunt, extra quam nulla Divina fides eſt. Fruſtrà quæritur alibi, quod in hac ſola continetur; quodque nos poſſidemus, facitque unicè fidem Divinam, nimirum Verbum DEI & vera ejus intelligentia.

Concludo ſecundò. Cùm extra Eccleſiam non ſit fides ulla Divina, quicunque Catholicus non eſt, liberè poteſt quidquid vult, id eſt, amplecti & ſequi quamcunque religionem ſeu fidem pro libitu. Ratio eſt

mani-

manifeſta: quia cùm nulla fides Divina tamquam dux illos ducat in materia religionis; nihil refert quem alium ducem ſequantur: in omni enim parte, in quam ſe vertunt, errant. Anabaptiſtæ, Lutherani, Zwingliani, Calviniſtæ, Arminiani, Gomariſtæ, Sociniani & omnes alii, non plus habent hi quàm illi, ſpectato motivo & regula, quæ perſuadeant veram fidem omnia inter illos pariter incerta ſunt & dubia, utpote in opinionibus & cogitationibus merè humanis fundata, quæ in rebus obviis errare poſſunt & ſolent, multò verò magìs in iis, quæ tam longè ſuperant & excedunt intellectum humanum, qualia ſunt fidei noſtræ myſteria. Quia ergo in omnibus his ſectis nulla poteſt eſſe vera fides Divina, plus nihil eſt in illis, quàm religio exiſtimata & falſa: ubi autem falſitas eſt atque falſitas, parum eſt, ſeu perdere ſeu lucrari. Lutherani credunt Trinitatem, quam rejiciunt Sociniani: ſed non ex motivo requiſito & ſufficiente ad credendum, videlicet propter Verbum DEI, quod infallibilem tribuat

certitudinem: ſinè qua certitudine, ratio nulla eſt credendi prout oportet: quia præter hanc nihil eſt, quod nos obſtringere poſſit ad ſubmittendum intellectum noſtrum fidei de tanto myſterio, aliisque omnibus, quæ in vera religione creduntur. Cùm igitur certitudo infallibilis haberi non poſſit nisì in Catholica Eccleſia; evidens eſt, quòd ſi ad eam non redeatur, non ſit rationabiliter una ſecta præ alia vel amplectenda vel reſpuenda: omnis enim æquè carent & motivô & regulâ ad credendum noſtra myſteria. Atque ità ſi Proteſtans quiſpiam bono præditus intellectu, cujuscunque demum ſectæ ſit, & vel mediocriter diſcurrat ſecundùm principia ſua, exquirendo ex ſe ipſo rationem ſuæ fidei; nunquam talem inveniet, quæ cum ratione reddi poſſit, quòd credat cum omnimoda certitudine, aliquid à DEO revelatum eſſe; & ſe brevì reperiet omni deſtitutum religione: ex quo haud dubiè concludet ipſe, ſolum rationis & prudentiæ ductum ſequens, ſibi neceſſarium eſſe, ut fiat Catholicus.

Con-

Concludo tertio : Quòd nulla ſe-ſta Proteſtantium diu permanere inter eos poſſit in unitate fidei, nec impedire ſchiſmata & deviſiones, quas cauſare poſſunt privati homines paulò magìs ſpirituales vel potiùs audaciores, quando ipſis placuerit. Satìs enim erit, ſi dicant, in rebus etiam ſummis & fundamentalibus, ſe habere & accipere pro ſe in vero ſenſu ſcripturas, idque ſciant per ipſam ſcripturæ vim, efficaciam & claritatem, ex comparatione unius textus cum aliis, atque etiam per internam perſuaſionem Spiritus privati. Quâ viâ tales reducentur & impedientur, nè ſcindant & lacerent unitatem fidei tam horrendâ opinionum diverſitate. Intrà eamdem ſectam? ſi non deveniatur nobiſcum ad ſupremam Eccleſiæ authoritatem, quæ decidat verum ſcripturæ ſenſum, & eos, qui eum ſequi noluerint, condemnet; rebelles reſcindat, ut corpus in ſua unitate, & fidei puritate conſervetur. Ipſi Proteſtantes, ut in Hollandia ſchiſma impedirent, aliam invenire viam nequiverunt, niſì Conventum univerſalem omnium Eccleſiarum in ſynodo Dor-

dracenſi, quod tam ſolemniter eſt receptum à fratribus in Gallia. Non adhibuerunt quidem ibi vocabulum *infallibilitatis*, ad firmandam ſynodi authoritatem; omnem tamen infallibilitatis effectum Ei attribuerunt, proùt alibi jam oſtendimus: alioqui nunquā impediri potuiſſet diviſio, quam Arminiani parabant in doctrina, poſtulantes tolerari in ſua fide. Sed minæ illis incutiebantur, quibus reſecari à corpore debebant velut ſchiſmatici, nisì doctrinæ ſynodi ſe ſubmitterent Eccleſiam repræſentanti, cui parere tenebantur in conſcientia circa ſuæ doctrinæ articulos, nisì è ſententia Evangelii haberi vellent pro infidelibus & publicanis. Ex quo ſatìs clarè oſtenditur, quòd ſi ſe ipſos condemnare nolint, ùt ſæpe faciunt, deſtruendo in uno loco id, quod in alio ſtabilire conabantur; neceſſarium eſſe, ut ad fidem Catholicam revertantur, ſeque ſubjiciant veræ Eccleſiæ, in qua fuerunt majores ipſorum, priusquam ſe, nolentes Ei obedire, ab ea ſegregâſſent: & Majores iſti nunquam hanc ſeparationem facere debebant, à regula infallibili, quam DEUS

DEUS illis dederat, ad cognoſcendam ſcripturam & verum ejus ſenſum, de quo tunc agebatur, ideo evidentiſſimum eſt, quòd poſteri eorum, Proteſtantes noſtri temporis, non poſſint absque crimine permanere in hac ſeparatione, quæ in ſuo progreſſu nunquam legitima fieri poteſt, cùm in ipſa ſua origine iniquiſſima fuerit atque impiiſſima.

Concludo quartò: hanc veritatem; quòd nimirum Eccleſia ſit infallibilis non ſolùm in quæſtione juris, verùm etiam in quæſtione facti, in materia doctrinali, & præcipuè in libris examinandis, ut nimirum fideles de iis edocti, inſtruantur etiam in rebus ad fidem pertinentibus. An Evangelium S. Joannis & Apocalypſis ſint à Spiritu Sancto dictati, an non? eſt quæſtio facti; & quidem controverſa, ùt vidimus. An Divinitas & Incarnatio Verbi habeatur in verbis initii hujus Evangelii in ſenſu authoris ejusdem, an non? iterum eſt factum, de quo in veteri Eccleſia vehementer diſceptatum fuit, & hodiedum controvertitur à Socinianis. Eccleſia ta-

men infallibilis eſt in ſuis deciſionibus de his punctis; quia nimirum agitur de dogmate, & de ipſo fidei principio, quæ in hoc facto continentur: nam definiendum eſt, an id, quod in libro illo continetur, & in ſenſu hoc determinato, ſit Verbum DEI, an non? & conſequenter an rejiciendus ſit ùt apocryphus, an ùt ſacer & Canonicus retinendus? Ex hoc exemplo patet, quid in aliis ſimilibus ſentiendum ſit.

Concludo quintò: & ex priori deduco principio; quòd nimirum verſiones ſcripturæ ſacræ in ſermone vernaculo & vulgari exactiſſimè ac fideliſſimè conformentur verſioni, quam Eccleſia recipit & ſua munit authoritate. Certiſſimum enim eſt, nos non habere libros Originales ſcripturæ ſacræ, qui pridem ſunt amiſſi. Exemplaria quæ nobis relicta ſunt, pluribus in locis falſificata fuêre, ùt ex prodigioſa illa diverſitate apparet, quam S. Hieronymus ſuo jam tempore invênit; & conſequenter verſiones ex his tam defectuoſis exemplaribus, ſuos proprios defectus addiderunt prioribus: eſt pro-

Præfat. in Iſai.

proinde indubitatum, quòd hac in parte, omnes verſiones inter ſe ità diſcrepent, ut dici turò non poſſit, in qua eorum ſit Verum Verbum DEI, niſì aliquam infallibilem habeamus regulam, quæ hoc dubiô ſublatô, decidat certò, & verum à falſo diſcernat. Et hæc eſt ratio, propter quam neceſſe eſt, recurrere ad verſionem, quam Eccleſia docet eſſe authenticam & genuinam, utpote jam tempore Apoſtolorum aut eorumdem diſcipulorum ex veris originalibus deſumptam, & rurſus per S. Hieronymum confirmatam ex antiquiſſimis manuſcriptis, & Apoſtolicis exemplaribus: unde, ſcriptura, quæ cum hac noſtra, in verſione non concordat, non eſt Verbum DEI, utpote difformis regulæ infallibilì, quam penes Eccleſiam habemus ad hoc diſcernendum. Inter omnes alios libros, de quibus controvertitur, illi ſoli ſunt ſacri & Divini, quos Eccleſia declarat Canonicos. Inter plures expoſitiones ſcripturæ, quæ producuntur, illæ ſolæ ſunt veræ, quas approbat Eccleſia. Similiter inter plures verſiones latinas,

nas, quæ aliàs è diverſis exemplaribus deſumptæ fuerant, illa ſola eſt noſtra Regula, quam Eccleſia agnoſcit pro authentica. Si ergo inter tot translationes Bibliorum, quæ in omnibus Europæ linguis hoc tempore imprimuntur, aliqua inveniatur, non ex toto & omnino conformis huic noſtræ; nullatenus haberi poteſt, pro Verbo DEI, in iis rebus, in quibus à noſtra authentica diſcrepat.

Ultimo denique concludo. Cùm ab Eccleſia Romana, in qua omnes, ante ſeparationem fueramus, ſacros libros tanquam Verbum DEI accepimus, ùt ipſi Proteſtantes fatentur; neceſſarium eſt, ut ab Eccleſia Romana pariter accipiamus eorum numerum, & veram eorumdem interpretationem, in rebus controverſis, quæ alioqui parere poſſent diviſiones. Diſcurſus iſte, ſimilis eſt illi, quem S. Auguſtinus inſtituit cum Manichæis, quibus opponit Catholicos, & ſe in medio eorum collocat, quaſi unam è controverſis partibus electurus; & eadem ferme dicit illis Hæreticis, quæ ego dico Dominis Proteſtantibus: Unde vos

Luth. in C. I. ad Gal. Vvitha ker. Calvinis: Controv. 2. q. 5. C. 14. Libr. de Utilit. Creden. C. 14.

vos ſcitis, quòd Chriſtus unquam nos docuerit aliquid, & quòd in libris habeamus ejus doctrinam, quæ appellantur Evangelia? Hoc didicimus, reſpondebitis, ab Eccleſia Catholica, à qua ſacros iſtos libros accepimus. Eccur ego non diſcam ab illa, id quod mihi dicit, dum credo ei dicenti quòd Chriſtus mihi loquatur? Vóſne meliùs me docebitis, quid Chriſtus dixerit, dum non credo, quòd unquam fuerit, ſi nullum habeam teſtimonium præter veſtrum? Quæ iſta inſolita inſania, dicere nobis, credite Eccleſiæ, quæ dixit; Chriſtus in Evangelio loquitur; & diſcite à nobis meliùs intelligentibus illud, quàm Eccleſia, quid in eo dicat, & quis ſit verus Evangelij ſenſus? Ego certè, addit S. Doctor, faciliùs crederem Chriſtum nihil nobis dixiſſe, DEumque nunquam in ſcripturis locutum fuiſſe, quam verum ſenſum ſcripturæ diſcerem aliunde, quam per Canalem ejuſdem Eccleſiæ, per quam credo ſcripturæ, quam ab illa accepi.

Quæ igitur iſta tanta dementia eſt? Illis crede, CHriſto eſſe credendum; & à nobis diſce quid dixerit. Multò mihi faciliùs perſuaderem, Chriſto non eſſe creden-

Finio verbis S. Auguſtini, quæ Proteſtantibus, fratribus noſtris, Chriſtianis

dti, quàm de illo quidquã, niſi ab eis, per quos Ei credidiſſem, diſcendum &c. S. Auguſt. ibid.

ſtianis dicta eſſe volo, accommodando illa ſubinde argumento noſtro præſenti. Scripſerat illa S. Doctor ad ſuum carum amicum Honoratum, ut eum ab Hæreſi abduceret: facta diſertiſſima enumeratione atque narratione, illorum illuſtrium motivorum, de quibus ſupra diſſerui, omnium illorum miraculorum, quæ magnitudinem & excellentiam Chriſtianæ religionis demonſtrant, & quæ omnia inducere deberent omnem hominem ratione præditum ad amplectendam fidem Catholicam; concludit & dicit: *Hoc factum eſt Divinâ Providentiâ per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinámque Chriſti, per Apoſtolornm itinera, per Martyrum contumelias, crucem, ſanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his univerſis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum*

UPB

tum auxilium DEI, tantum profectum fructúmque videamus, dubitemus, nos Ejus Eccleſiæ condere gremio? quæ usque ad Confeſſionem generis humani, ab Apoſtolica ſede, per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum Majeſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare, ſumma profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Nam ſi nulla certa ad ſapientiam ſalutémque animis via eſt, niſi cùm eos rationi præcolit fides, quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque auxilio Divino, quàm tanto labore prædictæ authoritati velle reſiſtere? Et ſi una quæqe diſciplina,

quam

quamquam vilis & facilis, ut percipi poſſit, Doctorem ac Magiſtrum requirit, quid temerariæ ſuperbiæ plenus; quàm Divinorum Sacramentorum libros & ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare: Quamobrem ſi quid de veri ratio vel oratio mea commovit, & ſi veram, ùt credo, tui curam geris; velim me audias, & bonis Præceptoribus Catholicæ Chriſtianitatis te piâ fide, alacri ſpe, ſimplici Charitate committas, Deumque Ipſum, cujus unius & bonitate facti ſumus, & juſtitiâ pœnas luimus, & Clementiâ liberamur, orare non ceſſes; ità tibi, néque præcepta & diſputationes doctiſſimorum hominum & verè Chriſtianorum, néque libri, néque ſerenæ ipſæ

ipſæ cogitationes defuerint, quibus facilè quod quæris, invenias. Nam iſtos verboſos & miſeros (quid enim alıud mitius dixerim) penitus deſere. Sæpe auditores erigunt ad quærendum, ſed ea docent excitatos, ut vel dormire ſemper ſatiùs ſit, quàm eô modo vigilare; de Lethargicis enim phræneticos faciunt. Inter quos morbos, cùm ſit uterque mortiferus, hoc tamen intereſt, quòd Lethargici, ſinè aliena vexatione moriuntur; Phrænaticus autem, multis, & potiſſimum, qui volunt ſubvenire, metuendus eſt. Similiter qui abutus ſcripturâ, ſenſum ei tribuendo pro libitu ſuo, absque ulla certa regula, poſtquam alios veneno infecit, eo etiam pertinaciùs aggreditur illos, qui eum ſanare deſiderant, exhibéntque remedium errori & morbo, verum nempe ſcripturæ ſacræ ſenſum. *De Util. Cred. C. 17.*

Sed

Sed quoniam iſte ſermo noſter multò proceſſit longiùs, quam putabam, hic finem libro faciamus. In quo memineris volo, nondum me Manichæos ibid. C. 18. (dico ego Proteſtantes) *cœpiſſe refellere, illas nugas nondum invaſiſſe, néque de ipſa Catholica magnum aliquid aperuiſſe; tantum modo eruere tibi ſi poſſem, falſam opinionem de Chriſtianis malitioſè aut imperitè inſinuatam, & erigere ad magna quædam & divina diſcenda.* Volui profectò, auferre à vobis falſam illam opinionem de veris Chriſtianis, nempe Catholicis, de quibus vobis dicitur, quòd admittere nolimus Verbum DEI. Contrarium potiùs oſtendi, illud inter nos duntaxat eſſe, & nullô modô inter Vos. Quod nunquam habituri eſtis niſi ad Eccleſiam redeatis, depoſitariam & interpretem Verbi DEI, à qua exiverunt anteceſſores Veſtri: quæ ratione conabar excitare in vobis deſiderium ad nos

nos revertendi, & nunc etiam toto corde opto, ut anima veſtra tangatur nobili cupiditate cognoſcendi hæc Divina myſteria, quæ per infelicitatem veſtram ignoratis. Ipſa illa, quæ noſſe vultis, abſque fluctuatione dubitationum ſcire non poteſtis. Fratres veſtri aliarum confeſſionum cum veſtra pugnantium ſemper vobis ea controvertunt: hi aſſerunt, quòd ſciptura quam allegatis, non ſit Verum DEI Verbum: alius, quòd ſenſus, in quo eam explicatis, à vero ſenſu Spiritus Sancti ſit alienus. Quid igitûr agetis in tanta opinionum pugna? quæ inquietat & agitat perpetuò intellectum veſtrum ſemper fluctuantem, niſi firmam, cui ſolidè inhæreatis, anchoram teneatis; audite in ſimili ſtatu poſitum S. Auguſtinum, dum adhuc eſſet Manichæus: *Jam cunctabundus, atque hæſitans, quid admittendum eſſet, ſæpe mihi videbar non poſſe invenire veritatem, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum ſuffragium ferebant. Sæpe rurſus non putabam latere veritatem, nisì quòd in ea quærendi modus lateret, eumdémque ipſum modum ab aliqua Divina authoritate* *ibid. C. 8.*

tate eſſe *ſumendum;* quem tandem invenerat in Eccleſia Catholica. *Si jam tibi ſatis jactatus vidêris, finémque hujuſmodi laboribus vis imponere, ſequere viam Catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos uſque ad nos manavit, & ab hinc uſque ad poſteros manatura eſt,* Cùm igitur totum hoc ſit ex Divo Auguſtino, cujus tantam Calvinus habuit æſtimationem, ut illum de vero ſenſu antiquitatis putaverit eſſe couſulendum; dubitare nolim, de efficacia & bono effectu in animis diſcipulorum ejus producendo, cum felici hujus diſſertationis concluſione.

A. M. D. G.